This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

11478. f

KAROLELLUS.

BEITRAG ZUM KARLSSAGENKREIS.

AUS DEM EINZIGEN PARISER DRUCKE

HERAUSGEGEBEN

von

Dr. Merzdorf,

Grossherzogl. Oldenburgischen Bibliothekare.

OLDENBURG

DRUCK UND VERLAG VON GERHARD STALLING.

1855.

Digitized by Google

Digitized by Google

SR. KÖNIGL. HOHEIT

HERRN

NICOLAUS FRIEDRICH PETER

GROSSHERZOGE VON OLDENBURG,

ETC. ETC. ETC.

SEINEM ALLERGNÄDIGSTEN FÜRSTEN UND HERRN

AM

VIII JULI MDCCCLV

IN TIEFSTER EHRFURCHT UND UNTERTHÄNIGKEIT

GEWIDMET

VOM HERAUSGEBER.

Digitized by Google

Digitized by Google

VORWORT.

So oft auch des Pseudo-Turpins historia de vita Caroli Magni gedruckt worden ist, so wenig ist die nachstehende metrische Bearbeitung bekannt oder berücksichtigt worden, wenngleich Dippoldt in seinem Leben Karl des Grossen S. 246 dieselbe als „eine der früheren, unbekannteren nach dem Dresdner ihm vorliegenden Exemplare erwähnt und Michel im Chanson de Roland Paris 1837 S. 244 auf dieselbe aufmerksam macht, indem er sich folgenderweise darüber ausspricht: „Il ne faut pas confondre ce poeme (das carmen de bello in valle Runcivale) avec un autre nommé Karolellus, qui se trouve a Londres au Musée Britannique, Bibliotheque du roi, 13 A XVIII, velin, XIII siecle fol. 136—149. Il a pour titre; Historia Turpini remensis archiepiscopi, et se compose d'environ 2100 vers . . . . Cet ouvrage, qui paroit n'être qu'une traduction de la chronique, dite de Turpin, et avoir été ecrit par un clerc anglois a Avignon.“ — Es ist wahr, diese metrische Bearbeitung folgt mit Auslassung der Capitel 1, 19, 24, 28 sclavisch nicht nur der Reihenfolge der Erzählungen, wie der Prosaroman sie giebt, sondern auch den einzelnen Redewendungen und Worten desselben. Vorzüglich ersichtlich ist dies daraus, dass bis zum sechsten Buche immer in der dritten Person gesprochen wird, von

Digitized by Google

da aber ganz wie bei Turpin, — er Turpin selbst — mit seinem „ego“ eintritt, was um so auffallender, als im sechsten Capitel des 7. Buchs Turpins Tod erzählt ist und gar v. 92 ff. gemeldet wird:

Cuius (Turpini) temporibus nostris venerabile corpus
Ossibus et nervis in ipsa carne repertum
Quidam de sociis nostris transferre volentes
Illud in ecclesiam fame maioris honoris
Precipui digno commendavere sepulcro.

Hiernach scheint die Annahme, dass ein Mönch des Klosters zu St. Andreas in Vienne um 1100 der Verfasser des Turpins sei nicht unwahrscheinlich und vielleicht anzunehmen, dass derselbe seine Prosa selbst mit Hinzufügung einiger Ausschmückungen, wie Lib. I. v. 169 — 183 (vergl. unten die Note) in Verse gebracht habe. Worauf sich Michels Ausspruch „ecrit par un clerc anglois a Avignon“ bezieht, ist nicht ersichtlich, zweifelsohne nur auf die Handschrift des Brittischen Museums bezüglich, da im vorliegenden Gedichte wenigstens sich schwerlich eine Hinweisung auf einen englischen Mönch dürfte nachweisen lassen. Hatte Masson schon den Turpin nach Karl dem Kahlen entstehen lassen, so finden wir in unserm Gedichte einen deutlichern Beweis, da Lib. 1 v. 193 aufgeführt werden:

Marcellus, Karolus calvus nec non Ludovicus.

Eiteles Bemühen jedoch wird sein, genau die Zeit ermitteln zu wollen, und die schon oben erwähnte Ansicht der um 1100 erfolgten Abfassung kann füglich genügen.

In sieben Bücher sind Turpins 32 Capitel zerlegt und enthalten genau dasselbe was dieser; dessen Inhalt Grimm Ruolandes liet. S. XXXIV. ff. angiebt. Aus diesem Grunde erscheint es ganz natürlich, dass hier nur darauf verwiesen, der Inhalt nicht erst besonders angegeben wird. Der Vergleichung halber habe ich die Nachweise, wo bei Turpin das Betreffende zu finden, angeführt.

Was den Text betrifft, habe ich nur die Druckfehler verbessert und an einigen Stellen offenbaren Unsinn entfernt, auch auf die wenigen Zeilen, welche Michel aus dem auch in Pertz Archiv VII, 77 und Reiffenberg Chronique de Ph. Mousques T. II. p. CLXXIX

Digitized by Google

erwähnten Manuscripte, dessen Einsicht vielleicht weitere Aufschlüsse geben würde, anführt, Rücksicht genommen und selbiges mit Cod. Lond. bezeichnet.

Das erste Buch ist in gereimten Hexametern geschrieben, die nach und nach ihre Reinheit verlieren und im vierten Buche allmälig verschwinden, hier und da wieder auftauchen und mit einzelnen leoninischen Versen gemischt sind. Die Sprache ist nicht besser und nicht schlechter, als die gleichzeitiger Schriftsteller.

Das Büchlein, nach dem der Druck besorgt ist, ist in Quart ohne Jahrzahl, ohne Blattzahlen und Custoden mit der Signatur A bis F, hat 48 Blatt und durchschnittlich 23 Zeilen auf der Seite. Unter der Ueberschrift: „Gesta Karoli magni francorum regis" ist ein sauberer Holzschnitt, der Karl mit Krone, Schwert und Reichsapfel sitzend, vorstellt, vor welchem sich ein Gewappneter mit einem Streitkolben in der Rechten auf ein Knie niederlässt, hierauf beginnt sogleich das Schriftchen selbst, welches 48a. endet. Blatt 48b. hat unter der Schlussschrift: „Karoli magni francorum regis semper inuicti ī | clita gesta describens opus egregium opera Magi | strorum Joannis boueri &c. Guillermi bouchet. accu | ratissime castigatum et a mendis scripto2 prioris qȝ | impressionis vigili cum diligentia releuatum. Fi- | nit feliciter." den Buchdruckerstock, wie ihn die genannten Pariser Drucker Johann Bouer und Guillermus Bouchet gewöhnlich führten. Da diese von 1496 an druckten, ist zu schliessen, dass dieser Druck um 1500 gemacht worden ist. Aus der Schlussschrift sollte man fast vermuthen, es gäbe noch eine andere Ausgabe; dieselbe ist jedoch noch nirgends aufgefunden und auch die vorliegende eine litterarische Seltenheit.

Von andern grössern Arbeiten eine Erholung suchend, habe ich diesen Abdruck veranstaltet; möge derselbe als nicht ganz unnütz und untauglich betrachtet werden.

Oldenburg, im April 1855.

Merzdorf.

Digitized by Google

Digitized by Google

GESTA KAROLI MAGNI

FRANCORUM REGIS.

(Hierunter der oben beschriebene Holzschnitt.)

Inclita quo memori teneas cordi Karolelli
Scripta: metris paucis stringo, quod ipse gerit.
Hec lege: qui claros Karoli vis nosse triumphos
De Saracena quos gente truce tulit.
In primis statui septem conscribere versus:
Singulus unde liber sub breuitate cluet.
Argumenta dein septena notabo, libellos
Que sexagena per capitella secent.
Ut tua Francorum breuibus sanctissime princeps
Gesta queam (Karole) pandere clara faue.
Subiugat Hesperiam Karolus primo regionem;
Aufugis hinc ab eo bis rex Aygolande secundo;
Edocet ut cadat is Arnaldi tertius armis;
Paruit huic Karoli vi subdita Corduba quarto;
Fossus vulneribus quinto cecidit Rotholandus;
Vindicat hunc Karolus, ut narrat carmine sextus;
Turpinum morti Karolum quoque septimus addit.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI OCTO CAPITULA CONTINENTIS ARGUMENTUM SEQUITUR.

Ut Jacobus pridem Joannis frater ad almam
Cristi doctrinam Galathas conuerterit, vt post
Idola vana fuit plebs illa secuta, quousque
Sacro rex Karolus fuit illuc numine missus,
Et Jacobi monitis, primus liber edocet atque
Sarcofagum sancti Jacobi rex postea visit.
Qua Jerico quondam muri virtute potenti
Occubuere viris clangentibus Israelitis
Insigni Josue cedentes: qua patuere
Egregio quondam Clodoueo menia spissa
Et prerupta nimis Angolisme cecidere,
Haud alia Karoli prece menia pulsa Lucrina
Et Pampilona, lapsis quibus ad reliquas it
Urbes Hispanas, domino duce quas superauit.
Idola cuncta terit praeter Mahumet simulacrum,
Tum demum ecclesie per eum fundantur vbique.

LIBER PRIMUS KAROLI INCIPIT.

(Turpin. Cap. 2.)

Versibus exametris insignia gesta virorum
Scribere proposui, validissima corpora quorum
Cristus in Hispanis occumbere pertulit oris
Quos illustravit diuini feruor amoris.
Sed quia me reprimit operis sublime grauamen
Implorare tuum compellor Criste iuvamen!
Mellifluam mihi confer opem: promptoque fauore
Perfice quod complere tuo delector amore:
Cum dominus Cristus deuicta morte reuixit
Sanctis discipulis hoc inter cetera dixit:
Cuncta resurgenti mihi sunt subjecta; sed ite,

Digitized by Google

Et cunctis populis apponite fercula vite;
En ego vos mitto per climata quattuor orbis,
Detis ut humanis medicamina congrua morbis,
Egris sanatis, leprosos mundificate,
Surdis purgatis, defunctos vivificate.
Obsessos a demonibus curate fugatis
Munera que gratis impendo: rependite gratis.
Statim discipuli domini mandata replentes
Ad conuertendas studuerunt pergere gentes.
Quilibet illorum, quo debeat ire, docetur;
Jacobus ad Galathas Hispanos ire jubetur
Quos postquam fidei potauit nectare sacro
Ipsos Cristicolas fecit mediante lauacro.
Tandem Jerusalem rediens truncatus obiuit
Herodis regis gladio, celumque petiuit.
Huius apostolici comites, fideique ministri
Ad Galathas corpus deportavere magistri.
Nam ratis auxilio vecti, fluctusque profundos
Hac rate sulcantes ventos habuere secundos,
Qui sacrum digno tumularunt corpus honore
Et populum fidei confirmavere vigore.

CAP. II.

(Turp. cap. 2.)

Sed miser hic populus peruerso dogmate lusus
Virtutem fidei sceleratos vertit in usus;
Namque fidem rectam renuens errore nefando
Errauit, falsis simulacris tura litando,
Atque sue tenuit peruerse dogmata legis
Ad Karoli magni Francorum tempora regis;
Qui rex egregius celesti numine fultus,
Postquam sustinuit tot prelia, totque tumultus,
Et postquam Cristo bello mediante subegit
Innumeros populos et ei seruire coegit,

Digitized by Google

Ipsorumque deos, et eorum numina fregit.
Hec predicta dei postquam virtute peregit
Ducere decreuit vitam post bella quietam;
Atque fatigatam voluit recreare senectam.
Nec mirum quoniam post tanta pericula tritus,
Optabat placidum tandem contingere litus.
Damque revolueret hec: dominus mirabile signum
Demonstravit eis cunctis clarescere dignum.
Sed si solicita queris cognoscere cura
Quod fuit hoc signum dicam: quia sidera plura
In medio celi pariter coniuncta profecto
Vidit apud Galathas tendentia limite recto,
Que tumulum magnum circumfulsere nitore,
Quo sacrum corpus medio recubebat honore.
Nam miseri Galathe seducti dogmate vano
Tunc venerabantur ritu simulacra profano;
Et quoniam fidei nondum sacramenta tenebant
Hinc quasi pro nihilo sacratum corpus habebant.
Postquam rex signum perspexit tale frequenter
Pectoris archano cepit replicare latenter.
Quid portenderet hoc? cui media nocte iacenti
Jacobus assistens indutus veste nitenti
Dixit, quid replicas, o rex venerabilis audi
Postpositaque mora diuine consule laudi;
Ne trepidare velis, omnem depone timorem,
Ne dubites modicum pro Cristo ferre laborem.
Cui rex respondit dicens: vir sancte quis es tu,
Qui me replesti tanto divinitus estu?
Non tua visio me dulci sacravit odore,
Meque salutifero fidei calefecit amore.
Si tuus aduentus divinum poscit honorem,
Pro Cristo domino patiar quemcunque laborem.
At vir sanctus ei querenti talia blande
Respondit dicens: intellige rem venerande:
Cristi discipulus, frater Joannis ego sum

Digitized by Google

Jacobus a domino missus, tibi dedecorosum
Esse potest: dicoque tibi non absque pudore;
Quam iaceo vilis, omni privatus honore.
Namque meum corpus cesum pro nomine Cristi
A Saracenis tractatur viliter; isti
Me non cognoscunt: nec Cristi nomen honorant.
Sed Jovis et Martis simulacra colunt et adorant
Unde satis miror; quod tu, pro cuius amore
Tanta deus fecit; quem tanto Cristus honore
Extulit in terris et cui tot regna subegit,
Que servire tibi virtus divina coegit;
Nondum disponis (post tot tibi bella peracta)
Qualiter esse queat Cristo Navarra subacta.
Unde resume tuos vires: nolique morari,
Nanque Saraceni per te debent superari.
Te deus elegit prae cunctis regibus, ito:
Propositumque dei facto celeri stabilito.
Nam tibi turpe potest, cunctisque fidelibus esse,
Quod Cristo renuit Hispanica terra subesse.
Hostibus expulsis, et ab illa parte fugatis
Atque sacramentis ibi divinis celebratis
Ad me credentes concurrunt undique gentes
A Cristo veniam propter peccata petentes.
Cum compleueris hec, a Cristo (teste fideli)
Martir percipies felicia gaudia celi,
Atque tuum nomen delebit nulla vetustas.
Imo merebitur hinc laudes acquirere iustas
Sollicitum depone metum: tutissimus esto,
Nam tuus adiutor ero semper ego tibi presto.
Sidera visa poli tibi, seque tenentia secum,
Sunt populi quos tu duces ad prelia tecum.
Qui populi contra paganos arma movebunt
Et tibi ductori concordi mente favebunt.
His sanctis monitis postquam regem stabilivit
Jacobus: ad celum cum magna luce redivit.

Digitized by Google

At Karolus certus de promissis sibi donis
Expugnare parat Hispanos more leonis,
Qui secum multam ducens equitum legionem
Mox apud Hispaniam convertit iter regionem.

CAP. III.

(Turp. cap. 3.)

At Karolus dum carpit iter, bellumque minatur,
Urbem vallauit, que Pampilona vocatur.
Quam tribus obsessam dum debellare nequisset
Mensibus: et victus animo iam pene fuisset:
(Nam validi muri prohibebant hanc superari)
Cristum deuota sic cepit mente precari
Dicens: o Jesu specialis gratia cuius
Me gentem patrie convertere compulit huius:
Cuius amore tuli tot prelia, totque labores:
Te releuante meos totiens et vbique dolores,
Te precor vt tua nunc virtus validissima muros
Obruat hos virtute mea nunquam ruituros;
Tuque meis precibus o Jacobe sancte faueto,
Ad dominum Cristum super hec orare studeto.
Mox prece finita: Cristi virtute fuerunt
Menia lapsa, quibus lapsis: porte patuerunt.
Tunc Saracenos, qui conuerti voluerunt;
Rex saluavit eos: occidit qui renuerunt.
At populi multi miracula tanta videntes
Idola sternentes penitus Cristumque fatentes
Se converterunt, vel propter regis amorem
Vel quia nolebant mortis tolerare dolorem.
Qui positis armis et firma pace statuta
Urbes reddebant soluentes sponte tributa,
Et quia Francigenas praeclara veste videbant
Indutos, gaudenter eos hinc suscipiebant.

Digitized by Google

CAP. IV.

(Turp. cap. 3.)

His ita transactis votum complere sitiuit
Rex Karolus, quod sic complevit, nanque petivit
Sanctum sarcofagum, quo creditur esse beatum
Corpus apostolicum virtute dei tumulatum;
Patronumque petens hasta propria maris vndas
Percussit, dominoque preces effundere mundas
Curavit, dicens: o Criste redemptor: adire
Hec loca sum iussus, teneor non longius ire;
Nam tua iussa tuo teneor complere favore,
Que me perdocuit sacrato Jacobus ore.
Tunc Turpinus eos sacro baptismate lavit
Quos timor ad Cristum vel amor Cristi revocavit;
Illos qui sacro renuerunt fonte lavari,
Rex Karolus iussit diversa morte necari.
Qui postquam populos illos sibi suppeditavit,
Urbes Hispanas iterum peragrare paravit:

CAP. V.

Prelias, Lametum, Visinia, Diania, Lucum,
Iranum, Donia, Columbia, Barcara, Tuda
Compostella prior, et in illo tempore parva
Ancala, Godefara, Thalananca, Viarana, Cruna,
Mangueda, Canalias, Vlmas, Vgeda, Toletum,
Menacheli, multumque ferens Calaveria fructum,
Turgel, Belanga, Salamanca, Segobia magna,
Ozea, Spinelega, Catalona, Sequentia, Stella,
Onetum, Legio, Caparra, Polentia, Burgas,
Rosas, Emerita, Ventosa, Lucrina, Vagetas,
Lerida, Teragona, Jacham, Barbastra, Gerunda,
Narbona, Baiona, munitaque turribus Osqua
Ubeda, Baretia, Petroissa, Valentia septa,
Corduba, Sibilia, Datina, Granada, Satina.

Digitized by Google

Urbes et villas has, quarum nomina dixi,
Rex Karolus vicit Cristi virtute potenti.
Sunt plures alie, quas nostri regula metri
Non posuit, quia non poterant in carmine poni.
Terram Pardorum, Navarrorum, Palagorum
Saracenorum, Maurorum, Naualanorum
Rex Karolus sibi divina virtute subegit
Et sibi prefatos populos servire coegit.
Quosdam devicit multo sudore duelli,
Quosdam subjecit multo certamine belli.

CAP. VI.

Tandem vix potuit fortem superare Lucrinam.
Sed tamen edomuit post menses quattuor illam,
Nam precibus fusis ceciderunt menia lapsa
Et deserta manet etiam nunc ita Lucrina:
Hanc fluvius quidam cingebat gurgitis atri
In quo cernuntur pisces subcrescere nigri.
Urbes prefatas multi reges superarunt,
Sed tamen ad ritum paganorum redierunt.
Hoc Clodoveus primus baptismate lotus:
Pipinus, Karolus, Clotarius et Dagobertus:
Marcellus: Karolus caluus nec non Ludovicus
Partim vicerunt: partim non; sed venerandus
Rex Karolus magnus omnes sibi subdidit urbes
Subjecitque sibi terram, populosque rebelles.
Tunc super has urbes maledictio fluxit ab ore
Regis, quas multo potuit superare labore.
Prima Lucrina fuit, Ventosa secunda, Caparra
Tertia, quarta fuit Adama nobilis ipsa.

Digitized by Google

CAP. VII.

(Turp. cap. 4.)

His ita completis Karolus simulacra deorum
Euertit penitus, praeter Mahumet simulacrum,
Quod Saraceni miro venerantur honore.
Hoc Mahumet fulsit multo dum viveret aere,
In quo per magicam, quam valde noverat artem,
Spirituum clausit immundorum legionem;
Que tam constanti monstrum virtute tuetur,
Quod (nisi paganus) accedere quisque veretur.
Nam si catholicus presumit cominus ire,
Protinus expirat privatus lumine vite.
At super illud avis si forte resederit ulla;
Demonis impulsu statim ruit exanimata:
Si Saracenis veniens oraverit: ipse
Sanus et incolumis discedit et absque dolore.
Est lapis antiquus, in ponti margine sculptus,
Mirifice supra terram situs, et stabilitus,
Inferius latus, desursum strictus et altus,
Infra quadratus, supra consistit acutus.
Est super hunc lapidem quaedam signata figura,
Pretendens hominis faciem, tamen erea tota;
Recte prospiciens sicut perpenditur austrum
Atque manu dextra clavem tenet hoc simulacrum.
Sed Saraceni credunt quod clavis ab eius
Dextra labetur, quando rex Gallicus vnus
Natus erit, cuius virtute deo mediante
Cristo cogetur Hispania terra subesse.
Protinus vt clavem lapsam perspexerit ille
Gentilis populus fugiet dispersus vbique.

CAP. VIII.

(Turp. cap. 5.)

Vix ego nominibus propriis distinguere possem
Ecclesias, quas tunc Karolus construxit, at idem

Digitized by Google

Rex sancti Jacobi sub eodem tempore parvam
Ecclesiam fieri maiorem iussit; et ipsam
Vestibus, et libris, terris et rebus et auro
Valde dotavit, tunc Cristo (rege reverso
Ad proprios fines) varie fundantur vbique
Ecclesie, plures sancte sub honore Marie
Virginis, et sancti Jacobi, protectio quorum
Conservavit eum post tot certamina sanum;
Sed quod de Karolo simus hec predicta locuti:
Si placet hic primi figatur meta libelli.

EXPLICIT PRIMUS LIBER. INCIPIT ARGUMENTUM SECUNDI OCTO CAPITULA CONTINENTIS.

Quas Karolus pridem subiecerat: has Aygolandum
Hesperias urbes narrat cepisse secundus.
Inde notatur (apud Baionam dum foret urbem
Basclorum regis acies Karoli) metuendum
Acciderit quid ei, qui Romarici dare iussum
Defuncti neglexit equi precium; sed in vsus
Exposuit turpes. Aygolandus sorte duelli
Inde quod emisit, Francis cessere subacti.
Fluminis ad Ceye ripas, post ac cecidere
Quorum radices haste fixe posuere
Pratis, atque novis subito foliis viruere.
Perfida gens cessit tandem Karolo ferienti,
Milite qui solo contentus inermis Agennum
Intrat: et intrepidus affatur regem Aygolandum.
Hinc redit, huc remeat urbem muros labefatat.
Xantonicam profugus urbem venit hic Aygolandus.
Quattuor hanc iuxta sanctorum milia cesa
Sunt: fixe quorum pratis haste viruerunt
Frondibus ad rapidas Carante fluminis undas
Haud procul a castro Falaburgum nomine dicto.

Digitized by Google

EXPLICIT ARGUMENTUM INCIPIT LIBER.

CAP. I.

(Turp. cap. 6.)

Et postquam Karolus ad Gallica regna redivit,
Quidam paganus rex Aygolandus nomine cepit
Hispanam terram: populosque subegit et urbes
Quas Karolus sibi subdiderat, tunc impius omnes
Cultores vere fidei (quos ipse reliquit
Terre custodes) gladio cedente peremit.
Talibus auditis apud Hispanam regionem
Mox Karolus convertit iter, comitemque Milonem
Secum perduxit in belli turbine fortem
Et commisit ei bellum, totamque cohortem.

CAP. II.

(Turp. cap. 7.)

Scribere decrevi quoddam mirabile factum,
Quod deus ostendit nobis, valde metuendum
Omnibus iniuste retinentibus omnia dona,
Que dant defuncti propter sua crimina facta.
Quidam miles erat, qui pressus pondere mortis
Muniri petiit sacrato corpore Cristi.
Cognatoque suo dixit: quod si moreretur:
Eius equi precium mendicis divideretur.
Singula quid referam? miles praefatus obiuit:
Cuius cognatus minime sua iussa peregit.
Natnque gulosus equum properanter vendidit ipsum,
Perque gule vicium precium distraxit equinum;
Transacto siquidem spacio quater octo dierum
Mortuus ante suum cognatum venit, et ipsum
Arguit: hoc dicens, quin proprias tibi soli
Res commendavi dandas pro nomine Cristi
Sed pietate dei, cuius miseratio multa

Digitized by Google

Que feci vivens mihi sunt peccata remissa,
Et quia mandato parere meo renuisti;
Per quater octo dies sevo sum traditus igni.
Tu quia vixisti semper miser atque gulosus:
Cras te suscipiet infernus: me paradisus.
His ita finitis discessit mortuus ille,
Sed vivus mox contremuit fugiente sopore.
Cumque die facta nobis hec visa referret
Et cunctus populus circumstans inde stuperet
Ecce repentinus clamor circumdedit illum,
Tanquam mugitus vitulorum, sive leonum,
Et sanus vivus mox de nostro comitatu
Tunc a demonibus rapitur: mirabile dictu.
Sed quid plura loquar? per quattuor undique raptus
Queritur ille dies, sed nulla parte repertus.
Post tamen octo dies, in quadam parte remota,
Inventum corpus fuit inter concaua saxa:
Totum confractum, divulsum, dilaceratum
Tanquam discerptum rabida feritate leonum.
Namque Gehennales tortores deseruisse
Proiectum corpus ibi verum creditur esse.
Ergo sciant omnes quam sit miserum retinere
Res sibi commissas, hinc damnatus fuit iste.

CAP. III.

(Turp. cap. 8.)

Tunc Karolus rex egregius (comitante Milone
Et multis aliis) Aygolandum querere caute
Cepit: sed tandem quesitum reperit ipse
Ad flumen Ceya cui nomen dicitur esse,
In quodam prato, quo postea decapitari
Sanctus Facundus meruit pro nomine Cristi.
Tumque propinquasset Karolus cum gente suorum,
Tunc Aygolandus ei mandavit: ut ipse secundum

Digitized by Google

Velle suum faceret bellum, vel si speciale
Aut plurale velit centum, vel mille virorum
Aut sex, aut octo, vel septem sive duorum.
Tunc Karolo regi centenos mittere contra
Centenos placuit: sed gens mox cessit iniqua.
Postea missi sunt equites hinc inde ducenti.
Sed Saraceni statim cecidere perempti,
Demum paganus equitum duo milia misit
Ex quibus occubuit pars maior et altera fugit.

CAP. IV.

(Turp. cap. 8.)

Tandem decrevit Aygolandus mittere sortes,
Que cecidere sibi iuxta sua vota faventes.
Hinc Karoli regi mandavit voce superba:
Ut facerent hinc inde simul plenaria bella.
At Karolus consensit ei; tunc nocte sequenti
Hastas in terra studuerunt figere multi
Ex sociis nostris: quas summo mane virentes
Frondibus et ramis viderunt inde stupentes.
Hastas predictas vestitas frondibus horum
Quos deus accinit cognovimus esse virorum.
Et quia Cristus eos erat in viridi paradiso
Glorificaturus signo monstravit aperto.
Illa quippe die pars hec bellavit, et illa
Sunt quadraginta Francorum corpora cesa,
Inter quos cecidit dux Milo pater Rotholandi.
Et Karoli truncatus equus defecit, et illi,
Quorum fronduerant haste pro nomine Cristi,
Martirii palmam meruerunt tunc adipisci.

Digitized by Google

CAP. V.

(Turp. cap. 8.)

At Karolus privatus equo: tantumque duobus
Militibus iutus, sed Cristi nomine fultus
Constitit in medio belli spatamque timendam
Hostibus educens gentem truncavit iniquam.
Sic Karolo pugnante diu: lucisque nitore
Occumbente simul; populus discessit vterque.
Exortaque die de finibus Italicorum
Bis duo marquisei venerunt: bis duo secum
Milia ducentes equitum, conferre parati
Auxilium regi Karolo pro nomine Cristi.
Quos vt cognovit Aygolandus adesse recessit
Et statim Karolus ad Gallica regna redivit.
Credere debemus, fixumque tenere, quod illi
(Qui tunc pro Cristi ceciderunt nomine) salui
Sunt, vel erunt: et nos simili ratione parati.
Quisquis enim viciis opponere nititur arma:
Virtutum florens illius creditur hasta.
Quisquis luxuriam vel cetera vitia magna
Vicerit; eterna florebit quippe corona.
Ille beatus erit qui contra crimina victor
Extiterit fueritque mere virtutis amator.
Nos si perpetuo volumus gaudere triumpho
Semper anhelemius celum preponere mundo.

CAP. VI.

(Turp. cap. 9.)

Postquam rex Karolus ad Gallica regna reversus
A bello modicum cessavit: post Aygolandus
Innumeros reges et multas undique gentes
Cepit adunare, populosque virosque potentes.
Et sic Gasconicam veniens obsedit Agennum

Digitized by Google

Urbem; quam tandem cepit certamine belli.
Tunc Karolo regi mandavit proditor ille,
Ut cum militibus paucis concorditer ad se
Rex Karolus veniat et ei pro munere multi
Protinus argenti pondus offeret, et auri.
Hoc quoque dicebat; quoniam Karolum cupiebat
Noscere, quem bello post detruncare volebat.
Quod rex providit, qui secum mille probatos
Assumens equites: magna ac virtute repletos
Ad binas leucas urbis prope menia venit.
Quos omnes ibi dimittens solum modo sumpsit
Sexdenos equites et eos in valle latentes
Dimisit: propriosque studens deponere vestes,
Hastam deposuit: et sicut tempore belli
Legati faciunt, supra gestamina dorsi
Transverso clipeo: comitatus milite solo:
Portas ingreditur urbis terrore repulso.
Dumque vagaretur: multis querentibus vnde
Esset: quid vellet: Karolus respondit: a parte
Nos sumus a Karolo Francorum principe missi,
Legati sumus ipsius regis venerandi.
Nos cum rege loqui volumus: sibi scripta daturi
Que Karolus mittit: nec possumus ante reverti,
Donec viderimus regem. Tunc protinus ante
Conspectum regis Aygolandi ductus vterque
Constitit: ac Karolus prior hec ait: o venerande!
Cum sexaginta Karolus concorditer ad te
Militibus venit, cupiens tibi subditus esse;
Vultque loqui tecum, tibi servire paratus,
Sed sibi promissum festines mittere munus.
Nos Karolus misit tibi declarare, quod ad te
Sicut mandasti non distulit ipse venire.
Ergo veni placide cum militibus tot ad ipsum
Verbaque permisce consolatoria secum.
Tunc Aygolandus eis dicit: velociter ite

Digitized by Google

Ad Karolum (nondum Karolum cognoverat ipse)
Et Karolo regi responsum tale referte:
Me cito venturum, nam festinabo venire.
Tunc Karolus cognovit eum predicta locutum
Nec tamen est notus, regem notavit et urbem
Exploravit: ubi facilis foret ad capiendum,
Et qua parte prius posset committere bellum.

CAP. VII.

(Turp. cap. 9.)

His ita finitis: Aygolando rege relicto
Discessit Karolus, comitatus milite solo.
Mox equitum sumpsit Aygolandus milia septem
Estque secutus eos, cupiens occidere regem.
Sed Karolus prescinit eos: statimque redivit
Ad sexaginta socios, quos monte reliquit;
Deinde recollegit alios in valle latentes
Discedensque suos decepit taliter hostes.
Post modicum tempus comitatus milite multo
Rex Karolus rediit, et Agennum tempore parvo
Obsessam cepit urbem non pace, sed armis,
Artibus innumeris prostratis undique muris.
Tunc per latrinas Aygolandus fugit: et illi
(Qui fuerant ipsi maiori federe iuncti)
Furtum fugerunt tenebrosa nocte latentes,
Et fluvium quendam Garonam transilientes.
Hostibus expulsis urbem gratanter Agenni
Intravit Karolus cum magna laude triumphi.
Milia cesa decem paganorum cecidisse
Fama refert: alios fugientes terga dedisse.

Digitized by Google

(Turp. cap. 10.)

Post ea Xanctonicam paganus venit ad urbem
Militibusque suis comitatus mansit ibidem,
Quem Karolus sequitur mandans vt redderet illi
Urbem: quam renuit mandanti reddere regi;
Sed bellum statuit sub tali conditione:
Quod belli victor urbem deberet habere.
Quod Karolo placuit, tunc Franci more leonum
Contra paganos prompti committere bellum
Ipsos invadunt et eosdem corde virili
Sternunt: et reprimunt, nec cessant tradere morti.
Sed de Francigenis tunc bis duo milia cesa
Credimus eterna cum Cristo vivere vita.
Rex que suo privatus equo (qui pressus et omni
Parte lacessitus, memorato nomine Cristi)
Invocat auxilium Cristi: propriasque resumens
Vires, aggreditur hostes: hos undique cernens
Vt dispergit oves lupus, vt taurosque leena:
Sic Karolus cogebat eos convertere terga.
Sed tolerare diu pagani non potuere
Tanti bella viri: qui fessi terga dedere
Intrantes urbem sibi: sed constantia regis
Perturbavit eos: nam muris astitit urbis,
Militibusque suis obsedit menia clausa,
Praeter eam partem quam cingit fluminis vnda.
Talia prospiciens Aygolandus, nocte sequenti
Intravit fluvium discedens corde trementi.
Quos postquam Karolus novit: sequitur fugientes
Atque duos reges paganos concutit ense:
Et paganorum prostravit milia quinque.
Sed quod lux refugit noctisque supervenit umbra,
Restat vt hic libri figatur meta secundi.

Digitized by Google

EXPLICIT SECUNDUS LIBER. INCIPIT ARGUMENTUM TERTII NOVEM CONTINENTIS CAPITULA.

Tertius ut profugus canit urbis rex Aygolandus
Menibus illatus Pampilone properaret,
Mandavit Karolo secum quoque bella moveret.
Quot trahat, et quantos venerabilis inde maniplos
Ad bellum Karolus, trebas petit hic Aygolandus.
Tempore quo durant paucis paganus adivit
Contentus sociis Francorum castra regentis.
De Saracenis datur hinc victoria Francis;
Hinc de pauperibus malus est rex scandala passus,
Juncta suo regi iacet hinc gens perfida morti;
Hinc pereunt spolia sanxerunt qui rapienda,
Crux datur in scapulis Karolo signum morituris.

EXPLICIT ARGUMENTUM; INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAP. I.

(Turp. cap. 11.)

Cum miser et profugus Aygolandus ubique vagatur
Ingrediens urbem, que Pampilona vocatur,
Mandavit Karolo quod secum bella movere,
Si Karolus vellet: ibi bellum posset habere.
Talibus auditis Karolus mandavit vbique
Regibus et ducibus, quos secum credidit esse
Et quicunque fidem Cristi creduntur habere:
Ut contra reprobos studeant ad bella venire,
Et propriis opibus nudos vestiret, egenos
Ditaret, miseros recrearet, pasceret egros.

CAP. II.

(Turp. cap. 11.)

Ad Karolum regem mox copia tanta virorum
Undique confluxit, quod nemo posset eorum

Digitized by Google

Complecti numerum: praetermisso que minorum
Ingenti numero: maiorum copia centum
Et quater octo duo complevit milia: quorum
Auxilio Karolus studuit committere bellum.
Nomina maiorum (quorum celeberrima fama
Claruit et clara) sunt hec et sanximus illa.
Presul Turpinus primus fuit et Rotholandus
Ipse nepos Karoli nulli probitate secundus:
Acer Oliverius, bello doctissimus, ense
Strenuus, et validus primus non distulit esse,
Et comes Escultus animi virtute virilis
Venit in auxilium Karoli promptissimus armis.
Fortis Arastagnus princeps que Britanicus ipse
Affuit huic bello belli doctissimus arte,
Cum quibus Anglerus fuit in Karoli comitatu
Dux Aquitanensis, nativo Gastonus ortu;
Nec non Gaiserus rex Burdegalensis, et ipse
Gelerus, Salomon Geleri, sunt sociati
Et Balduinus Rotholandi frater amenus
Et Constantinus preses Romanus, et ipse
Arnaldus sequitur doctus committere bellum;
Cum quibus advenit Sanson Burgondio fortis
Corpore corde Gygas, nullique secundus in armis.
Affuit huic bello Lambertus: eumque secutus
Est comes Hibertus: Galterius atque Guarinus
Et cum predictis Bernardus venit, et Yvo.
Affuit inter eos Ganalonus fraude repletus,
Progenies Sathanae, seductor, prodiciosus.
Predicti proceres peditum tot milia secum
Duxerunt: quod vix numerum describere certum
Sufficerem: pedites illic tot credo fuisse
Ut cunctos fines tegerent telluris operte.
Tunc omnes equites in Burdegalensibus oris
Convenere simul, nec non excercitus omnis,
Perque decem leucas hominum voces et equorum

Digitized by Google

Hinnitus fremitum reddebant atque tumultum.
Tunc prior Arnaldus in Pampilonica rura
Venit et Escultus et Arastagnus comes una,
Engelerus sequitur; et post Ogerius inde
Dux Constantinus, post Goudeboldus: et ipse
Ultimus advenit Karolus rex cum Rotholando.
Qui Karolus regi mandavit mox Aygolando,
Ut Pampilonam statim sibi redderet, et si
Nollet: pugnaret secum certamine belli.

CAP. III.

(Turp. cap. 11.)

Paganus siquidem cernens quod in urbe manere
Non posset: potius elegit bella movere,
Quam sine Marte mori: Karolo tunc talia regi
Mandavit: dicens vt rex trebas daret illi
Donec prodiret exercitus eius ab urbe,
Et mox in Karolum disponeret arma movere,
Hinc cum rege loqui petiit regemque videre,
Cui mox concessit quodcunque poposcerat ipse.

CAP. IV.

(Turp. cap. 12.)

Tunc trebas concessit: et inde Aygolandus ab urbe
Exiit: et cunctus exercitus eius: et ante
Conspectum Karoli cum paucis venit; eumque
Alloquitur Karolus dicens (o rex Aygolande)
Cur istam mihi fraude tua terram rapuisti:
Quam mihi subjeci Cristi virtute potenti?
Debeo iure queri de te, quia funditus urbes
Vastasti mihi subjectas: Cristique fideles
Truncasti gladio: quotiens ad regna redire
Gallica disposui: mox debacchatus es in me.

Digitized by Google

Cum paganus at (orato sermone) locutum
Audivit Karolum: quem (dum puer ipse Toleti
Disceret) edidiscit: mirari cepit et inde
Alloquitur Karolum dicens: cur arma movere
In me decernis? cur hec mea regna subire
Karole! presumis? nullo tibi debita iure,
Non avus aut proavus tuus ullo tempore regno
Prefuit Hispane regionis, quid petis ergo?
At Karolus respondet ei: divina voluntas
Quem colo: quem veneror: cui servio semper: in istas
Mittere me voluit regiones: quas ego Cristo
Subjeci populosque suos errore relicto.
Nam Cristus verus deus est: qui regnat ubique
Omnia qui fecit: natus de virgine matre.
Respondens paganus ait, Mahumet nos habemus,
Nuncius ipse dei, cuius precepta tenemus.
Ipse deus meus est cui solum servio; Cristum
Nescio; quem fingis de quadam virgine natum.
Unde potest fieri quod Cristum quem colis, orbem
Qui regit humanum, descenderit in mulierem.
Credere non possem, nec credo: quod caro vester,
Quem colitis, Cristi posset de virgine nasci.
At contra Karolus: si tu miserabilis esses
Cristi discipulns istud cito credere posses.
Sed quia te miserum decepit pessimus error
Paganosque tuos, idcirco refellere nitor
Te sectamque tuam; nostre sacramenta tenemus
Sincere fidei; que tanquam lumen habemus.
Vos colitis Mahumet simulacraque falsa deorum,
Nos colimus Cristum pro nobis in cruce passum.
Vos Martem colitis in stupri sorde creatum,
Nos colimus Cristum de pura virgine natum.
At cum meta brevis vite defecerit huius,
Infernus vos suscipiet, sed nos paradisus.
Inde patet quod nostra fides est dignior illa,

Digitized by Google

Quam colitis: bona nostra fides: falsissima vestra.
Sed quia nec dominum celi cognoscitis ipsum,
Debetis merito cum terra perdere celum.
Post istam vitam nos ibimus in paradisum
Sed vos defunctos Cristus demerget in Orchum.
Hinc (Aygolande) tibi sincère consulo, sacrum
Suscipe baptismum, quem sumat gens tua tecum.
Nam te premoneo: nisi tu baptismate Cristi
Perfusus fueris, morieris morte perenni.
Quod si nolueris, ambo veniemus ad arma
Et tu devictus, occumbes morte cruenta.
Tunc paganus ait (o Karole) littus arasti
Talia dum profers, baptismum renuo Cristi,
Nonne negare meum Mahumet potero? mihi nusquam
Certe continget id: quanto tempore vivam.
Tecum pugnabo sub tali conditione:
Si victus fuero: faciam quod iusserit ipse,
Si victus fueris statim mea iussa replebis
Sed in Mahumet credes: Cristumque negabis,
Ut decus eternum victus reputeris habere;
Gloria victori sit semper, et hic et ubique.

CAP. V.

(Turp. cap. 12.)

Conplacuit Karolo belli conditio talis
Seque paraverunt indutis protinus armis!
Tunc contra centum centum mittuntur: et ipsi
Pagani pereunt primo certamine victi;
Rursus mittuntur alii tot, sed fugientes
Retro Francigene cessere loco metuentes.
Et quoniam retro fugientes terga dederunt:
Hinc vinci pariter, et truncari meruerunt.
Huic datur exemplum: quod qui pro nomine Cristi
Aggreditur bellum: caveat post terga reverti.

Digitized by Google

Post alii plures hinc transmittuntur et inde.
Sed Saraceni mox occisi periere.
Quid loquar vlterius hostes cecidere perempti
Francigenis que fuit decus, et victoria belli.

CAP. VI.

(Turp. cap. 12.)

Tunc (trebis hinc inde datis) Aygolandus ad ipsum
Devenit Karolum: spondens quod sumere sacrum
Vellet baptismum: nam lex bona Cristicolarum
Falsorum superat simulacra profana deorum.
His ita promissis: mox ad sua castra reversus
Alloquitur reges paganos ista locutus.
Sepius (o proceres) bello perpendimus isto
Quod nunquam potuit vinci gens subdita Cristo.
Hinc est, quod cupio baptismum sumere Cristi:
Precipiens vobis baptismi fonte lavari.
Talibus auditis: mox omnes obstupuerunt,
Cui consenserunt quidam, quidam renuerunt.
Crastina lux aderat: et rex Aygolandus habere
Baptismum cupiens Karolum properavit adire;
Qui cum prandentem Karolum vidisset habere
Secum convivas varios, variumque colorem
Gestantes, quosdam vestitos tegmine nigro
Vidisset: quosdam vero sub tegmine claro;
Statim quesivit que gens hec esset: et unde
Advenisset ibi, cui rex ad singula queque
Respondit dicens: hi pontificalis honoris
Culmine perfulgent induti vestibus albis;
Illos quos cernis sub magna veste latentes
Sunt monachi nigri, sancti dominoque placentes;
Illi canonici sunt: quos tu cernis habere
Luteolas tunicas viventes religiose.
Postea prospexit bis sex Aygolandus egenos

Digitized by Google

Ad duram terram residentes, tegmine nudos
Exiguis epulis utentes: et sine mensa
Nec iuxta regem; sed erant in parte remota.
Moxque requisivit: que gens hec esset in illa
Parte sedens: vilis erat et sine tegmine tecta.
Respondit Karolus: tales pro nomine Cristi
Pascimus assidue: nam sunt illius amici,
Et domini famulos Cristi nos credimus esse,
Quos recreamus ibi sicut potes ipse videre.
Et quoniam Cristum bis sex habuisse ministros
Credimus: id circo tot egenos pascimus et nos
Is presens numerus inopum numerum duodenum
Signat apostolicum domino Cristo sociatum.
Tunc Aygolandus ait: illi sublimiter astant
Et prope te resident; felices sunt, et abundant
Potibus, atque cibis: preciosa veste nitentes,
Suntque tuti: nec eos fieri permittis egentes.
Illos quos Cristi famulos: quos dicis amicos
Esse tui domini; positos procul atque remotos
Dira fames cruciat: multo veneraris honore
Illos, hi vero tractantur turpiter abste.
Ille suo domino modico sociatur amore,
Qui servos eius tam vili tractat honore.
Dedecus haud modicum proprio domino facit ille,
Qui famulos ejus expellere non timet a se.
Unde tuam legem reprobare videris, honestam
Quam mihi dicebas: hanc esse scio modo falsam.
Et statim post hec discessit scandala passus,
Baptismum renuens, bellum committere promptus.
Luce secutura studuit mandare: quod ipse
Jam contra Karolum decreverat arma movere.
Tunc Karolus novit: quod rex Aygolandus habere
Baptismum renuit, quia mendicos inhoneste
Tractari vidit: et statim iussit honeste
Omnes mendicos vestiri, quos reperire

Digitized by Google

Tunc potuit: pascique cibis regalibus: essent
Ex hinc suscepti cuncti pro nomine Cristi.
Ergo pauperibus, et cunctis demus egenis
Conveniens decus: et Cristum veneremur in ipsis.
Non est magnificum venerari quosque potentes;
Exigit hoc terror: sed mendicos et egentes.
Precipit hoc dominus: cuius precepta tenere
Et famulis servire suis studeamus honeste.

CAP. VII.

(Turp. cap. 14.)

Jam nox abfuerat, orti iam lumina Phebi
Claruerant: et mox equites ad bella parati
Conveniunt, centum triginta milia secum
Rex Karolus duxit, Aygolandus milia centum.
Hi duo pugnarunt sub tali conditione:
Quod rex victor is sciretur dignior esse!
Francigene partes fecerunt quattuor, ipsi
Quinque: sed in primo cepti certamine belli
Pars prior illorum cecidit, sed turba secunda
Saracenorum veniens fuit illico victa.
Cum Saraceni viderunt se superari:
Convenere simul vno velut agmine iuncti,
In medio quorum consistens rex Aygolandus
Delituit: valido que suis munimine septus.
Tunc comes Escultus hinc illos cinxit: et idem
Turbidus Arnaldus: et post Ogerius, atque
Dux Constantinus: et Arastagnus comes illos
Undique cinxerunt: ex omni margine clausos;
Illi quinque duces equites habuere viriles;
A quibus adiuti cinxere viriliter hostes.
Interea Karolus de divina pietate
Confidens, ad bella suos cepit animare.
Tunc prior Arnaldus super illos irruit; ipsos

Digitized by Google

Undique precipitans et eosdem precipitatos
Morti tradebat; et ab omni parte ferire
Non cessavit eos; donec properavit adire
Per medios hostes Aygolandi castra volentis
Explorare fugam, sed libertate carentis;
Quem probus Arnaldus proprio mucrone peremit.
Protinus erigitur nimius super ethera clamor,
Nam Saracenos invasit languidus horror.
Tunc Franci proceres ex omni parte ruentes
Festinaverunt invadere cominus hostes,
Quos occiderunt; nullusque superfuit ex his.
At reges duo fugerunt; paucis sibi iunctis.
Tanta fuit strages, et copia tanta cruoris,
Quod Franci genibus nabant in sanguine mersis;
Et quia pugnavit Karolus pro nomine Cristi,
Omnes pagani statim cecidere perempti.
Unde manet certum: quoniam rex Cristicolarum
Ritus et sepes excedit multicolarum,
Ergo tuam legem miles dignissime Cristi
Observa semper: ipsumque relinquere noli.
Crede mihi: se vera fides permanserit in te
Tandem percipies eterne gaudia vite.

CAP. VIII.

(Turp. cap. 14.)

His ita completis Karolus rex victor ad Arge
Pontem devenit: et fessus ibi requievit.

(Turp. cap. 15.)

Morbus avaricie (qui multos ledit et urit
Illicite) quosdam de nostris urere cepit.
Nam presumpserunt (transacta luce diei
Ignaro Karolo) quasi circa mille reverti
Ad campum, quo pagani iacuere perempti,

Digitized by Google

Ut cupidi raperent argenti pondus et auri.
Qui dum defunctos ceperunt exspoliare
Ad Karoli regis ceperunt castra redire.
Mox Altumaior, qui de certamine nuper
Fugerat illesus: de quodam monte latenter
Exiit: et multis Saracenis sociatus
Omnes occidit: ex his non defuit vnus.
Sunt similes istis, qui propter crimina merent,
Sed post merorem peccatis rursus inherent.
At qui peccatum velut hostem vixerit, ille
Causam peccati post nunquam debet adire:
Cum fugio Syrtes incurro carmina Circes,
Deferor in Scyllam cupiens vitare Charibdim.

(Turp. cap. 16.)

Sed Karolum regem post tot certamina victa
Quidam paganus invasit nomine Furra,
Per famulos plures mandans, quod luce futura
Cum Karolo promptus esset committere bella.
Tunc Karolus dominum supplex oravit: ut ipse
Demonstraret eos, qui tunc essent morituri.
Sed dominus Cristus signo monstravit aperto
Jstud, quod Karolus domino quesivit ab ipso.
Namque crucis signum super arma resedit eorum,
Quotquot debeat presens occidere bellum.
Quod Karolus cernens illos seclusit in una
Ecclesia, salvare volens a morte futura.
Non caret effectu, quicquid divina voluntas
Disposuit: mox est quod vult sibi posse facultas.
Quid loquar vlterivs, init pars ultima bellum,
Sed mox Furra cadit nec non tria milia secum,
At Karolus victor clausos dum quereret illos
Defunctos penitus invenit, et exanimatos.
Jnvenies numerum: si tu super addere centum
Sex denos cupias, talis fuit exitus horum.

Digitized by Google

Qui licet exanimes in bello non ceciderunt,
Martirii munus amittere non meruerunt.
Tunc Karolus montem Gazazim cepit: et ipsos
Navarros populos sibi compulit esse subactos.
Sed ne displiceat lectori lectio longa
Restat ut hic libri ponatur tertia meta.

EXPLICIT LIBER TERTIUS. INCIPIT ARGUMEMTUM IN QUARTO CONTINENTE SEPTEM CAPITULA.

Quarto de nostris recitatur palma Gigantis,
Quem gladio proprio Rotholandus tradidit Orco.
Sternitur a nostris posthac rex Sibiliensis,
Suntque sui cuncti Karolo dare terga coacti.
Corduba (quam subiit Altumajor: fugeret dum
Frendentem Karolum) sub tali conditione
Capta sacrum caperet baptismum, redditur ipsi.
Corporis et animi dotes breviter recitantur,
Hinc sancti Karoli gestorum fine videbis
Nobilium pelagus, quae gessit rex venerandus.

EXPLICIT ARGUMENTUM. INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAP. I.

(Turp. cap. 17.)

Inde Gygas quidam de magna stirpe Golie
A Libicis oris advenit, bella movere
In Karolum cupiens, proprio qui nomine dictus
Ferracutus erat, durus, robustus et altus.
Hic a soldano transmissus de Babilone
Non formidabat hastas ictumque sagitte.
Iste quadraginta fortes superavit in uno
Conflictu: nunquam potuit succumbere bello.
Quem postquam Karolus cognovit in urbe Nagere
Esse: nihil metuens, illi qui cupit obvius esse.

Digitized by Google

Sed postquam Karolum novit Babilonivs iste
Advenisse: sua mox est egressus ab vrbe.
Et fuit illius hec prima petitio belli,
Vt Karolus quemquem contra se mitteret vnum.
At Karolus meditans quem mittere posset: Ogerum
Mittere decrevit multa virtute repletum.
Quem Ferracutus conspexit: et ivit ad illum
Est complexus eum cunctisque videntibus ipsum
Sicut ovem modicam deportans ivit in vrbem;
Reddidit hoc monstrum populum cum rege stupentem.
Corpore celsus erat: illius lata figura,
Longus erat nasus, digiti quoque brachia curva.
Postea Renaldum Karolus transmisit: et ipsum
Mox Ferracutus secum portavit vt agnum.
Deinde duos equites Karolus subjunxit, Oelum
Et Constantinum: sed cessavit cito bellum:
Nam Ferracutus validis vtrisque lacertis
Amplexatus eos secum portavit in urbem.
Post ea bis denos equites rex misit, et ipsos
Continuo vicit, et eos in carcere clausit.
Singula quid referam, Diomedes, Hector, Achilles,
Ajax, Hippomedon, Tydeus, Paris et Polynices
Credo quod hi missi si tunc a rege fuissent
A Ferracuto devicti succubuissent.

CAP. II.

(Turp. cap. 17.)

Ista videns Karolus, propter mirabile monstrum
Redditus attonitus: presumens mittere nullum.
Tunc princeps belli Rotholandus rege vetante
Contra paganum voluit committere bellum
Sed vix obtinuit is, corpore nam invenilem
Hunc rex et tenerum vidit, sed corde virilem.

Digitized by Google

Tunc Karolus dominum oravit vt ipse Gigantem
Sterneret: atque suum vellet servare nepotem.
Cum Ferracutus vidit Rotholandum: in ipsum
Irruit et secum portavit equum resupinum.
Cum se portari Rotholandus vidit in iram
Accensus validam, vires collegit: et ipsam
Imploravit opem domini: Tunc ipse Gigantem
Per mentum valide rapuit, retroque cadentem
Insequitur Rotholandus eum: pariterque ruentes
A propriis labuntur equis peditesque fuerunt.
Sed pariter surgunt et equos ascendere statim
Festinant iterum facturi bella vicissim.
Portinus eduxit Rotholandi dextera spatam
Nomine Durandam: cupiensque ferire Gygantem
Illius percussit equum tam fortiter, ictu
Uno: quod secuit medium mirabile dictu.
Cumque Gygas peditem se vidit, protinus ensem
Evaginavit, cepitque furens Rotholando
Inculcare minas: sed magnanimus Rotholandus
Tanta vi percussit eum: quod spata Gygantis
Decidit in terram: qui nullo vulnere lesus,
Atque carens gladio, clauso pugno Rotholandum
Invasit, minimeque valens sua vota replere
Percutit eius equum: percussus corruit ille.
Tunc ambo pedites bellum certamine pugni
Commisere diu: neuter potuit superari.
Occumbente die: bellum cessavit vtrinque,
Nam Ferracutus petiit trebas habuitque;
Tunc ambo pariter inter se disposuerunt,
Ut soli pedites belli certamen inirent.
Hoc ita concesso mox vnus quisque recessit,
Mane quidem facto bellator vterque redivit.
Sed Saracenus gladium tulit: et Rotholandus
Arripuit baculum longum tamen atque rotundum
Percussitque diu baculo feriente Gygantem,

Digitized by Google

Nec pouit duram pagani ledere pellem.
Tunc sibi conferri trebas petiit Rotholandus
Mox que Gygas cepit dormire sopore gravatus.
Utque Gygas posset dormire libencius: eius
Supposuit capiti lapidem: comes ingeniosus
Sed Rotholandus eum noluit prosternere: nesi
Frangeret has trebas: posset periurus haberi.
Nam fuit inter eos belli coniunctio talis:
Ut mox occisus foret actor proditionis:
At cum paganus somno fugiente refectus
Evigilasset: ait Rotholandus cur ita pectus
Ferracute tuum nulla valet arte domari?
Respondens paganus ait, succumbere mortis
Imperio nequeo: nisi ledar vulnere ventris.
Talibus auditis: tacuit Rothelandus, et aurem
Callidus avertit: quasi non intendere vocem
Illius posset: nam Ferracutus Hiberam
Linguam stridebat: Rotholandus noverat illam.
Subdit: scire tuum nomen volo: cui Rotholandus
Si nomen queris: dicor Rotholandus. At ille,
De qua gente venis: qui tantis fortiter armis
Hactenus expugnas; nunquam potui reperire
Quemquam tam fortem. Respondit ei Rotholandus
Si gentem queris: Francorum gente creatus
Sum, Karolique nepos germane filius eius.
Deinde Gygas, Franci cujus sunt legis? at ipse
Nos colimus Christum, pro nobis in cruce passum
Ipsiusque fide sumus ad certamina prompti.
Statim paganus (audito nomine Cristi)
Intulit: et quis enim Cristus? cui dux Rotholandus:
Filius ipse dei, natus de virgine, passus
In cruce pro nobis, tumulatus, deinde resurgens
Mortem destruxit, post ad sua regna revertens.
Contra paganus (inquit) nos credimus unum
Esse deum tantum: qui solus cuncta creavit.

Digitized by Google

A nullo genitus, prolem nullam generavit,
Nullus ei genitor; nullus sibi filius, ipse
Unus, non trinus. Respondit ei Rotholandus
Unum cum dicis, bene dicis; sid quia trinum
Esse negas erras, pater est et filius eius,
Sanctus spiritus est, non tres di: sed deus vnus.
Contra paganus: recolo modo te (Rotholande)
Tres dixisse deos: nos vnum credimus esse.
Nescimus quis sit pater: aut quis filius: aut quis
Sanctus spiritus est: hoc scimus quod deus unus.
Cui Rotholandus: eum nos affirmamus: et vnum
Et trinum: quam rem si vis cognoscere crede.
Est in personis trinus deus, in deitate
Unus, et vna tribus maiestas parque voluntas;
Quos nobis scriptura refert: tres credidit, vnum
Sanctus adoravit Abraham: tres credidit vnum
Et velut in cithara tria sunt, ars corda manusque
Una tamen cithara: sic in sancta deitate
Tres sunt persone: tamen he tres sunt deus vnus.
Ecce videre potes quod iam nux continet in se
Testam cum nucleo, cum cortice, nux tamen vna;
In radio solis tria sunt: lux, candor, et ardor
Sol tamen est vnus: non plures credimus esse;
Sunt tria quae plaustri rota continet, et tamen vna
Est rota; persone tres sunt, deitas tribus una.
Sic mortalis homo tria continet et tamen unus
Est homo: sic vere deus est, et trinus, et vnus.
Cui paganus ait: iam non intelligo trinum
Esse deum propter personas: in deitate
Unum: sed mihi dic quo facto, qua ratione
Patre deo genitus dicatur filius esse?
Cui Rotholandus ait: an credis quod deus Adam
Fecit? Credo Gygas inquit. Bene credis et ipsum
Nullus homo genuit? Nullus. Bene dicis. Et Adam
Heredes genuit? Ita plane. Sic parte ipse

Digitized by Google

A nullo genitus genuit sed filius eius
Patre deo genitus, nunquam tamen tempore cepit.
At paganus: adhuc dic mihi qualiter ipse
Filius humanum naturam sumpsit: et vnde
Absque maris coitu potuit de virgine nasci?
Respondens Rotholandus ait: deus omnia fecit,
Omnia qui fecit, Cristum de virgine nasci
Fecit: et ipse fuit solo spiramine sancto,
Non mediante viro factus: nam purus, et omni
Labe carens voluit de sacra virgine nasci;
Ut genus humanum (quodiam captiverat hostis
Humani generis) virtute sua revocaret.
Contra paganus: Cristus de virgine natus
Si deus ipse fuit, numquid fuit in cruce passus?
Et numquid moritur deus immortalis? et esse
Semper habens: numquid moribundus deserit esse?
Cui Rotholandus ait: quoniam de virgine natus
Est, vt homo natus fuit: hoc ita credere debes:
Si vero natus ut homo de virginis alvo,
Mortuus est: ut homo moritur, qui nascitur ergo
Si natum credis: et passum crede: sepultus
Ipse resurrexit: et celi regna petivit.
Talibus auditis paganus ait: Rotholande:
Talia cur profers mihi: cur et inania verba
Spargis: dico tibi quod nulla mortuus arte
Ad vitam redeat poteritque resurgere nunquam.
Si Cristus morti potuit succumbere: nunquam
Ad vitam potuit revocari: sic ego credo.
Cui Rotholandus ait: sic debes credere: quod qui
Omnes vivificat: potuit se vivificare.
Nec solum Cristus sed nos moriemur: et omnes
Deinde resurgentes astabimus ante tribunal
Cristi terrificum, pro factis premia nostris
Digna recepturi: iuxta quod gessimus ante
Adventum mortis: retributio digna sequetur.

Digitized by Google

Talia dicenti paganus ait; Rotholande!
Hec predicta satis video: sed qualiter ipse
Celos ascendit ego prorsus nescio: quippe
Incarnatus homo depressus pondere carnis
Credo quod ad celos nunquam conscendere possit.
Cui Rotholandus ait: homine stultissime, Cristus
Qui quando voluit, celi descendit ab arce;
Dum voluit potuit ad celi regna redire.
Tunc paganus ait: sub tali conditione
Tecum pugnabo: quod si tua creditur esse
Vera fides, vincar; si mendax, sis mihi victus.
Sit laus victori: rubor, et confusio victo.
Cui Rotholandus ait: sic sic contingat: vt ille
(Cuius recta fides) palmam mereatur habere.
Protinus aggreditur audax Rotholandus eundem
Paganum baculo: cupiensque ferire Gigantem
Non potuit: quoniam paganus callidus ictum
Prevenit baculi: tunc irruit in Rotholandum
Ferracutus eum cupiens occidere spata
Iniecta: sed eum decepit opinio falsa.
Namque nepos Karoli vir post resiliuit: et ictum
Iniecte spate (cum vidit) repulit a se
Opposito baculo; quem sevi spata Gigantis
Dissecuit, statimque fuit Rotholandus inermis.
Cum vero prospexit eum paganus inermem
Abscisso baculo: statim irruit in Rotholandum
Quem Ferracutus sub se prostravit: et ipsum
Prostratum duris cepit contundere pugnis;
Cum Rotholandus ita se tanta mole videret
Opressum: cernens quod non evadere posset?
Imploravit opem domini, sancteque Marie.
Virginis auxilium dicens, o virgo beata
Sancta parens Cristi, quem tu virgo genuisti
Insolito more, nullo vexata dolore
Subsidium deposco tuum, Cristumque precare,

Digitized by Google

Ut mihi sit in auxilium; pro cujus amore
Non timui contra paganum bella subire,
Hec cum dixisset domino donante: levavit
Se quamvis modicum, Ferracutumque resolvit
Subter se, cuius mucronem cepit et ipsum
In medio ventris pupugit statimque recessit.
Tunc Ferracutus mortali vulnere lesus
In medio ventris: exclamavit moribundus.
O Mahumet Mahumet qui maximus es deus, ecce
Nunc morior: morior: succurre mihi morienti.
Protinus audita morientis voce ruerunt
Undique pagani: corpusque suum rapuerunt.
Quod cum deferrent, et ad vrbem ferre studerent:
Et Franci proceres illos deferre viderent;
Aggrediuntur iter: ipsosque sequuntur; et vrbem
Intrant: et castrum capiunt, quod erat super vrbem.
Tunc Karolus victor vrbem, castrumque subegit
Et bellatores clausos de carcere traxit.
Sic Ferracutum Rotholandus vicit et ipsum
Auxilio Christi proprio mucrone peremit.

CAP. III.

(Turp. cap. 18.)

His ita finitis Ebroim rex Sibiliensis
Militibus validis valde munitus, et armis
Mandavit Karolo quod causa Martis agendi
Expectaret eum Mox ad certamina belli
Ire parat Karolus, et nullam deinde quietem
Perciperet: donec vicisset funditus hostem.
Cumque propinquasset prefati regis ad vrbem
Cum Saracenis multis ad bella venire
Ipsum prospexit: equitum bis milia quinque
Secum ducentem, Karolus sex milia ferme
Duxit: et ex ipsis tres turmas fecit: et ipsi

Digitized by Google

Pagani de se tres turmas composuere.
Mox equites nostri properant ad bella: sed ipsi
Pagani larvis barbatis undique tecti
Demonibus valde similes, et acuta gerentes
Cornua, ceperunt contundere tympana crebris
Ictibus, vt nostros terreret equos sonus ille
Protinus, vt clamor aures percussit equorum
Quos stupidos sonitus reddebant atque figure
Terribiles velut amentes concurrere retro
Ceperunt, nec equos equites retinere valebant.
Quo viso Karolus mirari cepit: et artem
Novit: que nostros reddebat equos stupefactos.
Tunc Saraceni nostris fugientibus: egro
Ceperunt instare gradu, nostrosque secuti
Sunt lento gressu: donec convenimus omnes.
Ad quendam montem tunc pagani redierunt;
Moxque super montem tentoria fiximus vsque
Mane quiescentes; sed cum clarescere cepit
Crastina lux Karolus cum pugnatoribus vsus
Sano consilio, cunctis precepit vt omnes
Quadrupedum tegerent oculos, ne cernere possent
Larvas terribiles: et festinanter eorum
Aures obstruerent: ne possent tympana sive
Voces audire: fuit ars mirabilis ista.
Et sic quadrupedum clausis oculis: et eorum
Auribus obstrusis: cum larvis tympana Franci
Opperiunt: rursus properant ad bellaque Franci.
Tunc cum paganis bellum commissimus: et sic
Maxima bellando pars est consumpta diei,
Hostibus aversis ex magna parte peremptis:
Non tamen omnino: sed paganus fuit hic mos
Et ratio semper: quod tergum nullus eorum
Verteret a bello: dum signum stare viderent.
Quod postquam Karolus cognovit: protinus armis
Induitur fultusque dei virtute potentis

Digitized by Google

Irruit in medias acies, spataque timenda
Detruncavit eos, donec pervenit ad ipsum
Plaustrum : quod signum portabat sive columnam,
Et sic evertit currum; tunc protinus omnes
Terga dedere fuge loca per diversa vagantes.
Atque Saracenis retro fugientibus : instant
Francorum proceres, truncantes vndique : donec
De Saracenis truncarunt milia septem.
Rex Ebroim truncatur ibi rex Sibiliensis.

CAP. IV.

(Turp. cap. 18.)

Protinus ingressus est Altumajor in vrbem
Qui contra Karolum moturus prelia, regi
Sibilie dabat auxilium : sed denique victus,
Reddidit hanc vrbem sub tali conditione
Quod statim Cristi baptismum sumeret : vrbem
A Karolo retinens, et eidem subditus esset.
Iis ita finitis : totam terram regionis
Hispanie Karolus sibi subdidit oppida, villas,
Urbes cum castris, nullusque resistere deinceps
Illi presumpsit in cunctis partibus illis.

CAP. V.

(Turp. cap. 20.)

Sed quod nos Karoli partim descripsimus actus
Ejus personam volumus depingere, crinis
Hujus erat rubeus, facie speciosus, honesto
Membrorum ductu, visu ferus et metuendus,
Corpore levis erat, pariter mensura venusta
Corporis octo pedes compleret et insuper vnum,
Renibus amplus erat, mediocriter congruus alvo,
Bracchia grossa gerens, et curva per omnia membra
Magnifica virtute potens in turbine belli.

Digitized by Google

Palmo pollebat facies sua, dimidioque
Nasus cum barba replebat circiter vnum.
Frons erat vnius pedis et feritate leonis
Candebant oculi rutilantes fulgur vt ignis,
Longa supercilia sub magna nube latentes
Velabant oculos: statim perterritus esset
Si quem prospiceret oculis iratus apertis.
Zonaque, qua Karolus se precingebat, habebat
Quinque pedes preter quod dependebat, edebat
Exiguum panis, sed manducare solebat
Ex facili quartam partem vervecis in vna
Cena gallinasve duas: cum maximus anser
Apponebatur illi: totum comedebat:
Porcinam spatam, seu pavonem, leporemve
Sive gruem totam ventri mandabat egeno.
Exiguum vini, sed aquam, que sorde carebat,
Sepe bibebat; erat tante virtutis vt vnum
Armatum proprio mucrone secaret equumque,
Quatuor ex facili manum virtute suarum
Hic ferraturas curvare solebat equorum.
Largus erat donis, sermone benignus, amator
Juris, iudicio iustus, spectator honesti,
Cultor iustitie, plenus pietate, modestus
Eloquio, sensu discretus, corpore castus.
Ecclesiam sanctam venerans super omnia, fortis
Fortibus, infirmus infirmis, omnibus omnis.
Is ter sive quater portare solebat in anno
Laculam et exultans regali more coronam.
In festo pasche, pentecostes dominique
Natalis, sancti Jacobi, diadema ferebat.
Sicubi pergebat statim prefulgidus ensis
Ipsius illustrem faciem de more preibat
Tempore nocturne quotiens dormire volebat
Quam plures equites circa se semper habebat:
Qui caput atque pedes, dextrum latus atque sinstrum

Digitized by Google

Eius servabant: spatam lumenque tenentes.
Quattuor excubie alternatim vigilantes
Et requiescentem Karoli servire studentes.
Non ego sufficerem verbis exponere gesta
Omnia que fecit: sed partim sumpsimus illa
Qualiter Agalfro venerando rege Toleti
(Dum puer exul erat) habitum suscepit equestrem,
Qualiter ejusdem Galafri prece victus iniquum
Branventem regem paganorum superavit,
Qualiter ecclesias plures construxit et vrbes
Devicit multas et Cristo subdidit illas,
Qualiter argento vestiri fecit et auro
Pervigili cura Sanctorum corpora plura,
Qualiter imperium Romanum cepit et vndas
Transit equoreas: dominique videre sepulcrum
Appetiit Karolus: non est mihi dicere promptum.
Qualiter ipse crucis lignum secum tulit, in quo
Mortem pro nobis Salvator pertulit: ex quo
Multas ecclesias ornavit: scribere vellem
Sed non sufficere possum tot gesta notare.
Hoc narrare tamen breviter volo: qualiter ipse
Post hec disposuit ad Gallica regna redire.
Sed quia delibitat corpus labor absque quiete,
Terminet hunc librum quarte distinctio mete.

EXPLICIT LIBER QUARTUS. INCIPIT ARGUMENTUM IN QUINTO CONTINENTE NOVEM CAPITULA.

Marsirius quinto cum fratre suo Beligando
(Dum Pampilona Karolus perstaret in vrbe)
Mittunt a Cesaraugusta per Ganalonum
Illis quesita simulata pace tributa.
Fraude Ganaloni seductus ad arma redire
Gallica disponens rex custodire iubet, dum
Ipse Cisereos portus transisset iter, ne

Digitized by Google

Fraudibus infide gentis fortasse pateret.
Preter Tedricum, Balduinum cum Rotholando
Custodes obeunt decepti per Ganalonum.
Post varias strages quas egit de Saracenis
Marsirium sanctus regem perimit Rotholandus.
Inde suum querulis affatur vocibus ensem,
Hinc adeo sonuit lituo quod sunt sibi colli
Nervi confracti, Karolum dolus hic Ganaloni
Verbis detinuit fallacibus, ne Rotholando
Auxilium ferret, Tedricus frater et ejus
Fata viderent dura, fidei confessio pura
Editur inde ducis pro Cristo commorientis

EXPLICIT ARGUMENTUM. INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAP. I.

(Turp. cap. 21.)

Postquam divina Karolus virtute subegit
Hispanos populos Cristoque subesse coegit
Multimodis dono collatis gratibus: ille
Gallorum fines tandem decrevit adire,
Militibusque suis comitatus venit ad vrbem
Quam Pampilonam dicunt: et mansit ibidem.
Sed tunc Marsirius cum fratre suo Beligando
Pagani reges magne virtutis ibidem
Urbe morabantur: proprio quam nomine Cesar-
Augustum dicunt: vulpina calliditate
Subjecti Karolo falsa sub imagine pacis
Pacis amatores, sub dulci melle venenum
Gestantes: quorum simulatio mente latebat
Egregium Karolum, qui missi de Babilone
Subjecti fuerant Karolo: non pace sed armis.
His Karolus regibus mandavit per Ganalonum

Digitized by Google

Ut vel susciperent baptismum: sive tributum
Mittere curarent, tunc hi baptismate sacro
Neglecto penitus: argenti pondus et auri
Miserunt Karolo: nec non et dulce Phalernum,
Quod pugnatores Karoli potare studerent,
Et Saracenas mulieres mille decore
Purpureo roseas, et honesta veste nitentes.
Qui promiserunt quod conferrent Ganalono
Bis denes mulos oneratos rebus, et auro
Et multis gazis sub tali conditione:
Si pugnatores Karoli disponeret ipsis
Tradere sub quadam simulata proditione.
Proh pudor! heu facinus Ganalonus regibus ipsis
Proditor assentit: oblataque dona recepit.
Protinus inter se firmato proditionis
Pacto, Tartareus Ganalonus proditionis
Heres, progenies Sathanae, Judasque secundus
Ad Karolum rediit et gazas obtulit illi,
Quas rex Marsirius cum fratre suo Beligando
Ipsi mittebant: dicens quod vterque salutem
Mandabat Karolo: sacrumque volebat vterque
Sumere baptismum renuens simulacra deorum,
Marsiriusque suum cum fratre suo Beligando
Disponebat iter: vt Gallica regna subiret
Et sic perfusus sacro bastismate Cristi
Verum Cristicolam se promittebat haberi,
Imperioque foret Cristi subiectus et omnes
Ilispanas vrbes ab eodem rege teneret.
Maiores Karoli proceres celeberrima vini
Pocula sumpserunt: sed concubitus mulierum
Spreverunt penitus: sed non sic turba minorum
Abstinuit: vetito nam victa libidinis estu
Illicito coitu sese commiscuit illis.

Digitized by Google

CAP. II.

(Turp. cap. 21.)

At Karolus credens falsis verbis Ganaloni
Tandem disposuit ad Gallica regna reverti,
Qui male seductus ex consilio Ganaloni
Fingentis pacem sub falso corde vocari
Jussit Oliverium: carumque sibi Rotholandum.
Quos ex affectu specialis amoris amabat
Pre cunctis: animis quod noverat esse virilès,
Et precepit eis, ut de maioribus omnes
Eligerent proceres: nec non bis dena virorum
Milia colligerent: vt dum rex ipse rediret:
Dumque Cisereos portus transiret: ab ipsis
Ultima postreme fieret custodia pacis,
Inque loco starent, cui nomen Roscida vallis.
Qui sic fecerunt, sed quidam tempore noctis
Preterite multa vini gravitate sepulti
Cum Saracenis iuncti mulieribus usi
Flamma luxurie ceciderunt tempore belli.
Namqui se coito polluto nocte peracta
Fedarant; pariter obierunt nocte secuta.

CAP. III.

(Turp. cap. 21.)

Singula quid referam, dum portus cum Ganalono
Et cum Turpino Karolus transiret et ipse
Bis denis equitum comitatus milibus iret:
Et duo barones prefataque turba virorum
A Karolo missi (sicut premisimus ante)
Extreme partis custodes efficerentur;
Statim Marsirius, fraterque suus Beligandus
Saracenorum triginta milia secum
Et bis dena simul ducentes mane diei
Summo, de silvis et nemoribus egrediuntur,

Digitized by Google

In quibus occulti de consilio Ganaloni
Per binos latuere dies: binasque cohortes
De se fecerunt: viginti milia prima
Continuit turma: triginta turma secunda.
Statim ceperunt viginta milia nostros
Ledere posterius: et eis insistere: donec
Francorum proceres (animi virtute resumpta)
Contra paganos studuerunt mittere bella.
Qui commiserunt belli certamen utrinque,
Sed mox pagani devicti succubuere
Secum portantes mortis lacrimabile munus,
Nec super evasit de tantis milibus vnus.
Mox proceres nostros tanto certamine lassos
Cetera Marsirii triginta milia ferro
Desuper invadunt: percusseruntque minores
Maioresque duces: praeter comitem Rotholandum
Atque duces binos, Tedricum Balduinumque,
Qui duo dispersi per montes, per iuga, perque
Silvas, et saltus fugientes delituere.
Tunc ibi barones omnes cecidere perempti:
Atque minor populus: nec de tot milibus vnus
Unicus evasit, nisi tres proceres, Rotholandus,
Et duo barones: quos prelibavimus ante.
Quidam truncantur spatis, quidamque teruntur
Verberibus, quidam cultellis excoriantur.
Hi iaculis pereunt: hi suspenduntur in altis
Arboribus: quosdam vidisses igne cremari.
Sunt Saraceni cum magna laude triumphi
Sunt retro modici post bella perecta reversi.
Questio posset agi cur Cristus pertulit illos
In bello perimi: qui tanto tempore belli
A coitu veneris studuerunt vivere casti?
Hoc deus idcirca voluit: ne forte reversi
In patriam possent in crimina maxima labi.
Et quia pro Cristo tot prelia, totque labores

Digitized by Google

Pertulerant: ipsos in eodem Marte peremptos
Cristus ad eternam voluit perducere vitam.
Et Cristi pietas illos haurire dolorem
Mortis permisit: quos igne libidinis ustos
Polluerat veneris labes: ut passio dure
Mortis commissos posset delere reatus.
Credere debemus: fixumque tenere: quod illi
Cum Cristo vivunt: qui se pro nomine Cristi
Non dubitaverunt dure committere morti.
Et deus illorum voluit pensare labores;
Quos sua prospexit tandem peccata luentes.
Qui licet illicite veneris putredine sese
Polluerant: tamen hos pro Cristo constat obisse.
Hinc datur exemplum: quod si committere bellum
Pro Cristo cupias: fuge complexus mulierum.
Nam quod Sansonem, vel David, aut Salamonem
Mente dei repulit? huic percipies rationem.
Quidam terreni reges ad prelia secum
Uxores proprias ducentes succubuerunt.
Nam bello Darium Macedo superavit, ab ipso
Victus et occubuit Antonius Octaviano.
Inde datur nobis exemplum forma vivendi:
Ut dum vivimus hic studeamus vivere casti.
Nam veneris labes animam cum corpore fedam
Reddit: eamque monet eternam perdere vitam.
Ergo si cupias vitam perducere castus:
Blandicias veneris, et carnis comprime fastus.
Pertinet ad monachos: ut semper vivere casti
Et sancti studeant: quia sunt in turbine belli.

CAP. IV.

(Turp. cap. 22.)

Interea magna Rotholandi constitit ira,
Dum se prospiceret solum post bella peracta.

Digitized by Google

Flebiliter doluit comitum pro morte suorum
Et quia se vidit post hos superesse relictum:
Protinus accensus animi virtute, redire
Ad Saracenos propere festinat: eosque
Explorare cupit, sed dum perquireret illos
Huc, illuc: et adhuc longe distaret ab illis,
Invenit quemdam paganum corpore nigrum
A bello cessum iuxta dumeta latentem:
Quem vivum cepit Rotholandus eumque retortis
Ad quercum manibus vinxit: vinctumque reliquit.
Deinde suos hostes explorans vndique, montis
Cuiusdam culmen conscendit: ut inde videre
Paganos posset: et vidit eos: quia multi
Essent, solus eos nec is superare valeret,
Cum clangore tube sonuit: centumque vocavit
Ad se de sociis Karoli, quos ipse reduxit
Per iuga, per valles, per culmina montis ad illum
Paganum qui vinctus erat: vinctumque resolvit
Atque tenens spatam super illius caput ipsi
Pagano dixit: si mecum veneris et tu
Marsirium regem mihi demonstraveris: ibis
Sanus et incolumis, si non hoc ense peribis.
Hoc ideo dixit: quia Marsirium capiebat
Noscere: quem bello post detruncare volebat.
Talibus auditis paganus cum Rotholando
Cumque suis sociis ivit properanter: et ipsis
Marsirii monstravit equum: clipeumque rotundum.
Mox Rotholandus eum dimisit, seque parare
Ad bellum cepit confidens de pietate
Auxilioque dei: cordis que rigore recepto
Cum centum sociis, quos secum duxerat, hostes
Cominus aggreditur, tunc inter eos Rotholandus
Quendam paganum prospexit corpore celsum
Quem propria spata, Duranda nomine, tanto
Ictu percussit: quod equum dominumque sedentem

Digitized by Google

Per medium secuit: ita quod sessoris equique
Altera pars illuc, pars altera decidit illuc.
Quod cum pagani vidissent: rege relicto:
Cum paucis sociis fugientibus terga dederunt.
At Rotholandus eos divino numine fultus
Auxilioque dei fretus mucrone levato
Persequitur mediasque studens dirumpere turmas
Fulminea spata mortales seminat ictus
Inter paganos: et eisdem pocula mortis
Prebens ad stygias non cessat mittere sedes.
Protinus inter eos (gladio cedente) peremit
Marsirium regem: convertere terga volentem.
Tunc Rotholandus eos (quos secum duxerat) omnes
Amisit socios in eodem Marte peremptos.
Non ego sufficerem verbis exponere stragem,
Quam de paganis Rotholandus fecit: at idem
Percussus graviter in corpore graviter hastis
Atque fatigatus commissi pondere belli
Tandem discessit: nam sanguinis vnda fluentis
Debilitabat eum, vacuatis robore membris.
Postquam Marsirii Beligandus funera novit,
Cum Saracenis fugit bellumque reliquit.

CAP. V.

(Turp. cap. 22.)

At Karolus iam transierat fastigia montis
Jamque Cesareos portus transire parabat
Ignarus penitus tanti discriminis: huius
Inscius eventus: credens quod prospera cuncta
Essent, incertus procerum de morte suorum,
Heu dolor: o pietas: o dulcia viscera Cristi
Hec quotiens recolo, libet indulgere dolori.
Tunc comes egregius Rotholandus pondere belli
Tanto depressus hastarum quattuor ictu

Digitized by Google

Flebiliter Iesus, Francorum morte virorum
Languidus et mestus, per montes, per iuga (quamvis
Lassus et afflictus) solus pervenit ad oras
Vsque Cesareas: statimque sub arbore quadam
Intra marmoreum lapidem descendit: ibique
In viridi prato requievit: equumque ligavit,
Extraxitque suam spatam nitore coruscam
Visu formosam, Durandam nomine duram
Post ictum prebet, durissima queque secantem.
Quam geminis manibus tenuit Rotholandus: eumque
Sepius aspiciens lacrimosis vocibus inquit:
O mea Duranda, mea tu fortissima spata
Tu fortissima, tu pulcherrima, tu cruce sancta
Insignita nites: tu lucida, tu mage pomo
Pulcra Berillino, tu magno munere summi
Es munita dei virtute que predita summa!
O mea Duranda te gesto: teque relinquo
Namque (volente deo) nature debita solvo.
Quis Duranda tua virtute merebitur uti,
Qui te portabit? nunquam succumbere bello
Vel vinci poterit: nulla formidine mortis
Captus erit; nunquam pavidus, sed numine sancto
Circumfultus erit, per te gens perfida morti
Traditur; augetur lux Cristi, gloria Cristi
Crescit, honorque patris celeberrima fama
Cognita clarescit, o felicissima spata:
Per te Iudea vidi, et Saracenica per te
Agmina truncari; per te gens perfida morti
Traditur; obruitur; truncatur, non habuisti
Vel primam similem; poteris nec habere sequentem.
Ex te percussum modico vel vulnere (sicut
Sepius agnovi) nunquam post vivere vidi.
Si miles timidus, vel iners, vel spurius, aut si
Quisquis paganus vel perfidus est habiturus,
Te valde doleo, graviter gemo, lugeo, plango:

Digitized by Google

Hoc deus avertat qui celo presidet alto.
His ita finitis: metuens ne spata veniret
Ad Saracenos: valde tribus ictibus ipsum
Marmoreum lapidem spata Rotholandus eadem
Percussit: cupiens ipsam confringere: sed quid
Ulterius dicam: lapis hic percussus in ambas
Dividitur partes illesaque spata remansit.
Tunc super articulos surrexit: seque levavit
Arripuitque tubam; cuius clamore replevit;
Omne nemus: cupiens aliquos revocare vel illos
Qui iam transierant: vel eos qui forte latebant
Per nemus occulti: sperans aliquos redituros
De Karoli sociis, vel de latitantibus illic;
Qui (sibi solventi nature debita) ferrent
Funeris obsequium, spatamque suam sibi caram
Acciperent et equum: Saracenosque fugarent.
Vsque adeo insonuit: quod per medium tuba scissa
Atque divisa fuit, ruptique fuisse feruntur
Nervi cum venis colli, vox cuius ad aures
Pervenit Karoli: sua qui tentoria quodam
Fixerat in prato: quod quattuor a Rotholando
Leucis distabat, sed fas est credere, quod vox
Angelico ductu Karoli pervenit ad aures.

CAP. VII.

(Turp. cap. 23.)

Continuo Karolus (audita voce) redire
Disposuit laturus opem sibi, sed Ganalonus
Pessimus, horribilis, maledictus, proditionis
Conscius et mortis Rotholandi, talia regi
Dixit: mi domine rex noli retro redire
Namque tube sonitu Rotholandus sepe sonare
Et clamare solet currens post terga ferarum;

Digitized by Google

Crede quod auxilio nullo indiget is, sed et vnde
Pessimus eventus illi contingere posset?
Sepe feram modo persequitur: curritque vagando
Et delectatur crepitante tuba resonando.
O Ganalone miser, o perfide, quale dedisti
Consilium Iude similis linguaque dolosa?

CAP. VIII.

(Turp. cap. 23.)

Cumque recedisset moriens Rotholandus in herbam
Graminei prati: pronusque iaceret, aquamque,
Quam sitiens biberet, in magno posceret estu,
Mox superadvenit eius germanus: eique
Vt sibi ferret aquam nutu patefecit aperto.
Qui quesivit aquam: sed nusquam reperit illam
Et jam perpendens quod morti proximus esset
Mox benedixit ei tunc ne Rotholandus ab ipsis
Paganis subito venientibus obrueretur,
Protinus eius equum conscendit: eoque relicto
Ad Karolum convertit iter; sed cum Rotholandus
Solus adesset ibi subito Tedricus ad ipsum
Devenit: multo Rotholando iunctus amore.
Qui cum vidisset Rotholandum iam morientem:
Te video, dixit, que sors tam pessima mortem
Haec inferre tibi presumpsit dulcis amice.
Te fidei sacre muni munimine: Cristum
Mente tene: Cristi bonitas, miseratio Cristi
Corde tuo sit et ore tuo Cristumque precare,
Vt tibi dignetur peccata remittere: teque
In regno salvare suo: pro cuius amore
Contra paganos studuisti bella movere.
Talia Tedricus dicebat: sed Rotholandus
In domino sperans eiusdem mane diei

Digitized by Google

Munitus fuerat sacrato corpore Cristi
Et sua confessus fuerat peccata: priusquam
Pergeret ad bellum: nam talis mos fuit ipsis
Vt pugnatores ituri ad prelia primum
Curarent sua presbyteris peccata fateri,
Et sic perciperent corpus venerabile Cristi.
Tunc Cristi martir oculorum lumina tendens
Ad celos, Rotholandus ait: te Criste redemptor
Glorifico: te confiteor: pro cuius amore
Dimisi patriam, pro nomine cuius ad istas
Deveni terras: ope cuius prelia multa
Devici: multos paganos ense peremi;
Pro quo sustinui tot verbera, totque ruinas,
Innumeras alapas, tot frigora, totque calores
Esuriens, sitiens, afflictus, lassus, egenus
Saucius, irrisus, hec pro te passus in hora
Hanc animam commendo meam tibi, ne patiaris
Me tibi devotum damnari morte perenni.
Tu pro me nasci de virgine, tu crucifigi
Pro me dignatus es, tu pro me voluisti
Tot tormenta pati: tot vulnera: tu sepeliri
In sacro tumulo: citiusque resurgere tandem,
Post predicta tibi placuit conscendere celo!
In te consistit spes nostra, redemptio nostra,
Gloria nostra, decus nostrum, protectio nostra.
Hanc animam commendo tibi: nam confiteor me
Deliquisse tibi nimium, sed tu pius atque benignus
Vis peccatores converti: tu misereris:
Et tu parcis eis, quorum peccata remittis.
Tu veniam Petro lacrimanti, tu Ninivitis
Tu peccatrici, tu multis hanc tribuisti.
Te precor: ut veniam quam multis exhibuisti
Digneris conferre mihi: peccata remitte,
Que tibi peccavi: nec me patiaris aduri
Igne Gehennali, sed me tecum refoueri

Digitized by Google

Digneris: cui non moriendo corpora nostra
Depereunt: sed ab hac vita mutantur in illam
Que caret occasu, justum qui religiose
Vixit in hac vita meliori vivere vita
Perficis in celo, sed si peccator iniquam
In melius vitam tandem correxit: et eius
Parcis peccatis, nam te dixisse recordor
Quod peccatoris conversio plus tibi quam mors
Ipsius placeat, te Criste purissime corde
Credo, confiteor labiis? ego vivere tecum,
Esse volo tecum, me vita transfer ab ista:
Ut me post facias meliori vivere vita.
Si tecum fuero, si tecum finio, tecum
Felix semper ero, presentem respuo vitam.
Nam quantum distat a corpore corporis vmbra:
Tantum presentem celestis gloria vitam
Exuperat. Vita presens brevis: illa perennis.
Et carnem cum pelle tenens (vt retulit idem
Postea Tedricus) lacrimosis vocibus inquit:
Criste dei patris fili: sancteque Marie
Virginis et matris de cuius corpore corpus
Sumpsisti: credo quod in ista carne resurgam:
Quam teneo modo: quamque gero modo teque videbo
His oculis: cum tu iudex adveneris, omnes
Judicii libra discernere digna daturus
Premia: sive bonis bona, sive malis mala: justis
Eternam vitam: reprobis dispendia mortis.
Hec dicens pectus et corporis omnia membra
Premunire crucis vexillo cepit: et alta
Dicere voce mihi vilescunt omnia: mundus
Divicie mundi terrenaque gloria, cuncta
Hec mihi vilescunt: felicia gaudia celi
Jamque tuor, donante deo: que gaudia Cristus
Confert his quos pura replet dilectio Cristi,
Expandensque manus ad celi sidera: fusis

Digitized by Google

Ad Cristum precibus dixit; dulcissime Criste
Parce tuis famulis: et eis peccata remitte
Qui causa fidei sese committere morti
Non expaverunt hodierni turbine belli.
Nam de longinquis venerunt partibus: et se
Pro fusis viciis, pro solo nomine Cristi
Permiscere neci dire, nec gloria fallax
Mundi seduxit: sed eos permissio verax
Adduxit: nam tu celestis gaudia regni
Illis promittis: quos huius abusio mundi
Irretire nequit: tu qui tot parcis eisdem,
Parce, nec eterne mortis cruciamine Criste!
Torqueri patiaris eos: quos esse peremptos
Constat amore tui: sed si mea vota benignus
Exaudire velis illos in pace quieta
Suscipe: quos hodie per verbera; postque flagella
Occisos pro te cognovi morte cruenta,
Ut cum martiribus et confessoribus atque
Virginibus tecum semper feliciter esse,
Vivere, regnare mereantur teque videre,
Cuius majestas semper fuit: et sine fine
Semper erit nunquam cepit nec desinet esse.
Finitis precibus: hora Rotholandus eadem
Impressit fronti signum crucis: atque beatam
Expirans animam: cum cetibus angelicorum
Spirituum martir meruit conscendere celum.
At quod supplicium mortis pro nomine Cristi
Sustinuit: meruit adipisci gaudia celi,
In quo cum Cristo celesti luce beatus
Perfruitur sanctis celestibus associatus;
Nobilis, et celeber ex clara stirpe parentum
Processit, gestis famosus, nomine clarus,
Moribus excellens, templorum cultor, egenis
Largus, spes celi, viduarum tutor, egentum
Panis, consilium sapiens pietatis amator.

Digitized by Google

Dogmata corde tenens animo pius, ore serenus
Culmen honoratum recreans moderamine cives
Defensor patrie, decus almum decus opimum
Pro tantis meritis quibus hic refloruit: ipsi
Gaudia celorum tribuit clementia Cristi.
Sed quia me recolo iam plura fuisse locutum,
Concludit quintum Rotholandi passio librum.

EXPLICIT QUINTUS LIBER. INCIPIT ARGUMENTUM IN SEXTO CONTINENTE TRIDECIM CAPITULA.

Marsirii sexto mors et damnatio libris
Et Rotholande! tua Turpino est gloria visa.
Tristia fert Karolo Balduinus de Rotholando
Caro patre nova: subito sunt agmina versa
Francorum in luctum, plangit Karolusque nepotem.
Exequie in luco persolvantur Rotholando
Visus Oliverius fuit haud procul, excoriatus;
Narrantur procerum, quot quanti qui ceciderunt.
Orbita fixa trium spacio stetit ipsa dierum
Solis, dum Karolo cruda de gente triumphus
Cederet, vt quondam reges dum quinque retrusit
In scopulo Josue sol fixus constitit arce.
Morte ferit dignum perimi Karolus Ganalonum;
Subditur hinc vbi dux clarus sit quisque sepultus
Vrbe Viennensi rex consilium celebrari
Fecit: vbi ecclesiam preferre Dionisiacam
Sanxit: ob id martir sanctissimus astitit illi:
Dicens obtinui quod querere disposuisti.
Atque Marie struxit Aquisgrani genetrici
Cristi hinc ecclesiam, nec non aulam speciosam.

Digitized by Google

EXPLICIT ARGUMENTUM IN LIBRO SEXTO. INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAP. I.

(Turp. cap. 25.)

Scribere quod sequitur breviter volo, dum Rotholandi
Martiris egregii de carcere corporis esset
Spiritus egressus; et ego Turpinus eadem
Cepissem celebrare die solemnia misse,
Et Karolus presens astaret: mox ego raptus
Mentis in excessu mira dulcedine plenas
Voces angelicas in celestis regione
Audivi patrie, mecumque revolvere cepi
Quid foret hoc: sed dum voces audire studerem
Angelicas: vidi post me transire falangam
Spirituum nimis horribilem: predamque ferentem
Tunc ego demonibus dixi: quid fertis? at illi
Marsirium regem damnandum morte peremni
Nobiscum ferimus: animam vestri Rotholandi
Secum fert Michahel hodierna luce perempti.
Talibus auditis postquam celeste peregi
Officium misse: statim narrare sat egi
Hec Karolo regi dicens: o rex venerande?
Que narrabo tibi tamquam verissima crede,
Pro certo studeas cognoscere, quod Rotholandus
Mortuus est hodie, sed qua sit morte peremptus
Ignoro penitus: tamen hoc veraciter ipsi
Est mihi compertum, quod cum multis animabus
Ad celos hodie conscendit spiritus eius,
Nam sanctus Michahel celestis nuncius ipsum
Cum multis aliis hodie tulit in paradisum;
Quidam paganus exutus corpore dictus
Nomine Marsirius nunc est ad Tartara ductus.

Digitized by Google

CAP. II.

(Turp. cap. 25.)

Talia dum loquerer, statim frater Rotholandi
Advenit super eius equum, qui singula gesta
Nobis exposuit exclamans: quod Rotholandum
Mortis in articulo positum, se compare solum
Juxta marmoreum lapidem sub vertice mortis
Deseruit, ruit in lacrimas exercitus omnis.

CAP. III.

(Turp. cap. 25.)

Talibus anditis dolor et suspiria, clamor
Et gentis strepitus et lamentatio, moeror
Et pietas et amor, compassio, per nemus omne
Audiri poterat: vox vndique plena dolore.
Mox celeri cursu redeuntibus omnibus, ipsum
Rex Karolus primum meruit reperire iacentem
Eversum penitus defunctum: nexa tenentem
In crucis effigiem sua brachia, tunc super illum
Procidit: et strictis Karolus complexibus ipsum
Amplecti cepit, gemitus proferre, rigare
Fletibus ora: manus complaudere, vellere barbam,
Dans gemitus crebros, suspiria multa, dolores
Innumeros, varios singultus, talia dicens.

CAP. IV.

(Turp. cap. 25.)

Vocibus altisonis suspirans: O Rotholande,
O Rotholande nepos dulcissime, dulcior omni
Melle: favum inspirans animi dulcedine, Cristi

Digitized by Google

Miles; Francorum decus, inviolabilis hasta,
Justitie cultor; Francorum gloria; barba
Optima, defensor fidei; servator honesti.
O Rotholande nepos Karoli, fortissime Cristi
Miles, milicie princeps, pietatis amator,
Francorum probitas, Francorum dextera, virtus
Francorum, princeps Francorum, ductor eorum.
O Rotholande, genus regale, comes venerande!
Cur ego defunctum video te: cur ego tecum
Non morior? cur me solum mestumque relinquis?
Cur Cristi pietas vnquam permisit in istam
Te duci patriam: certe iam penitet heu me.
Hectoris, Ajacis, Pyrrhi, Diomedis, Achillis,
Enee, Turni, Polinycis et Hippomedontis,
In te regnabat probitas, vivebat honestas;
Pollebat pietas; virtute simillimus illis.
Dulcis amor, roseusque pudor mitisque potestas,
Tu nive candidior, robustior Hectore, quovis
Jaspide lucidior, dulcedine dulcior omni,
Melle suavior, igne incautior, aptior vnda
Mitior agno, clarior auro, purior astro,
Turture simplicior, estiva gratior vmbra
Nobilior violis, omni pretiosior auro.
Huc properent iuvenes: huc florida confluat estas
Fons fluat ex oculis, in vestem seviat vnguis
In me desevit violente grando procelle.
Clavo sublato fluitat ratis anchora nostre:
O furor, o rabies, o pessima bellua, que te
Percussit: fuit Hyrcano truculencior apro,
Sevior equore: surdior aspide, nequior angue
Horridior monstro quovis: crudelior vrso.
Ve mihi, ve misero, quid agam? sine fine dolendum
Est mihi: lugebo semper, quoniam Rotholandum
Defunctum video, Rotholande dolebo super te,
Absalon vt doluit David super hunc Jonathamque

Digitized by Google

Atque patrem Jonathe, precor vt miseratio Cristi
Te secum faciat eterna vivere vita.
His verbis Karolus Rotholandum planxit: et omni
Tempore quo vixit: fuit hec sibi causa dolendi.

CAP. V.

(Turp. cap. 25.)

Continuo Karolus inibi tentoria campo
Fixit: et ipsius condivit aromate corpus.
Atque per omne nemus circa corpus Rotholandi
Ignibus accensis in eadem nocte peregit
Exequias dignas; necnon exercitus omnis
Luctibus et precibus permiscens carmina: donec
Crastina lux rediit tenebrosa nocte fugata.

(Turp. cap. 25.)

Tunc omnes pariter in summo mane diei
Armis induti campum cui Roscida vallis
Nomen inest adeunt: ubi tristi morte iacebant
Occisi proceres, ibi perquisivit amicum
Quisque suum, quidam mortali vulnere lesi
Languebant: alii privati lumine vite
Reddiderant animas, ibi strages tanta iacebat
Interfectorum procerum: quae Roscida vallis
Plena cadaveribus hominum depressa latebat.

CAP. VI.

(Turp. cap. 25.)

Tunc equites nostri dextra, levaque vagantes
Corpus Oliverii famosi principis, atque
Egregii comitis horrenda morte peremti
Inveniunt vinctis manibus post terga retortis

Digitized by Google

Quatuor arboreis a summo verticis vsque
Ad plantas spatis, et cultris excoriati,
Hastis, et iaculis, baculis levibusque sagittis
Vndique perfossi, pars nulla remansit in eius
Corpore sana: fuit mixtum quoque vulnere vulnus.

CAP. VII.

(Turp. cap. 25.)

Nomina maiorum breviter recitabo virorum
Quos deus occidi bello permisit in illo.
Primus Oliverius fuit, Escultusque secundus
Tertius Arnaldus, quartus Renaldus, Oellus
Quintus, Arastagnus Britonum dux sextus, Ogerus
Septimus, octavus Sanson Burgundio princeps
Et comes Allobrogum, miles fortissimus ense
Strenuus, et validus in belli turbine primus.
Nonus Gaiferus rex Burdegalensis, et ipse
Lambertus decimus fuit, undecimus Rotholandus
Ultimus illorum pro Cristi nomine passus.
Sunt plures alii: quorum celeberrima fama
Vivet in eternum, quos si distinguere vellem
Nominibus propriis angusti temporis hora
Vix mihi sufficeret: varia qui morte perempti
Mundo defuncti vivunt in pace sepulti.

CAP. VIII.

(Turp. cap. 25.)

Protinus inventis tantis baronibus, omnes
Plangere ceperunt: nam deplorabat amicum
Quisque suum, vallemque piis clamoribus omnes
Et nemus implebant, tunc ipse per omnipotentem
Jurans iuravit Karolus: quod habere quietem

Digitized by Google

Nec pacem posset: donec sibi plena facultas
De Saracenis collata fuisset; et ipse
Nunquam cessaret post ipsos currere, donec
Invenisset eos. His dictis turbidus ivit
Miliciaque sua tantum comitatus, ad ipsos
Vertit iter, spacioque trium triplicata dierum
Est protracta dies, nam sol immobilis axem
Stare suum fecit; et eos Karolus comedentes
Invenit juxta fluvium, qui dicitur Ebra.
Quos Karolus subito comedentes atque bibentes
Ocius invasit violenti more leonis.
Et sicut devastat oves lupus esuriens, sic
Detruncabat eos Karolus mucrone, tribusque
Milibus occisis, campum cui Roscida vallis
Nomen inest adiit. Quid dicam plurima? statim
Omnes defunctos, infirmos, vulnere lesos
Transferri Karolus precepit, vbi Rotholandus
Exanimatus erat, et tunc perquirere cepit.

CAP. IX.

(Turp. cap. 25.)

A multis verum consisteret: an non
Quod pugnatores Ganalonus proditione
Tradere paganis presumpsisset, quod multi
Hoc affirmabant: dicentes quod Ganalonus
Proditor in fraude reus esset proditionis.
Mox Karolus binos equites committere bellum
Alterutrum iussit: Pinabellum pro Ganalono
Tedricum pro se: cupiens cognoscere certis
Iudiciis utrum Ganalonus conscius huius
Criminis existeret: an non; mox ambo parati
Concurrere simul, sed Tedricus Pinabellum
Protinus occidit: et sic patuit Ganalonum
Actorem sceleris, et inique proditionis.

Digitized by Google

Quem Karolus graviter ferventi concitus ira
Funibus arboreis vinctis post terga lacertis
Arreptum statim vinciri iussit, equisque
Quattuor indomitis omni feritate repletis
Postposuit vinctum: et contra quattuor orbis
Climata distractum crudeli morte perire
Fecit eum totum, divulsum dilaceratum
Et quoniam tante fuit actor proditionis
Heres semper erit eterne perditionis.

CAP. X.

(Turp. cap. 26.)

Tunc defunctorum quidam condire studebant
Corpora diversis speciebus, aromate sive
Mirra, sive sale ventrem perfundere, quidam
Corpora curabant: et cum proiecta fuissent
Stercora: replebant palmo salis interiora,
Ne fetor hic hominum binas corrumpere nares
Posset: et insaniem possent condita resolvi
Corpora: donec eis cum magno cordis amore
Ad patrios fines delatis, atque sepultis
Funeris obsequium speciale dedisset amico
Quisque suo; quidam gestantes lignea secum
Vascula: defunctos secum deferre volebant.

(Turp. cap. 29.)

Sed quia tot proceres in eodem constat obisse
Occisos bello, partim recitare studebo,
Qua regione suam fuerit sortitus honestam
Quisque sepulturam; tunc rex Karolus Rotholandum
Blavensem comitem Cristi pro nomine passum
Ad proprium castrum deferri fecit, et ipsum
Iussit honorificis sepeliri cultibus intra
Ecclesiam sancti Romani martiris a se

Digitized by Google

Olim constructam; quam libris et preciosis
Vestibus ornarat; et quam fundaverat, in qua
Canonicos posuit eius devocio; cultu
Compositos, vultu maturos, religione
Ferventes, domino famulantes et Rotholandi
Egregiam spatam Durandam nomine; durum
Ictum prebentem, precepit Karolus eius
Suspendi capiti; pedibusque tubam probitatis
Milicie signum semper memorabile: Cristo
Gloria laus et honos fuit hoc: qui prestitit illi
Quicquid virtutis, quicquid probitatis habebat.
O Blavium felix, o villa beata, quibus te
Laudibus attollam; certe iam nescio; namque
Vix ego sufficerem; sed te presentia tanti
Hospitis attolit venerando corpore; cuius
Insignita nites; cuius munimine, cuius
Auxilio poteris privari tempore nullo.
Dulcis Oliverius, et Goudeboldus, Ogerus,
Et Garinus apud castrum quod fama Velinum
Nominat et reliqui plures habuere sepulcrum.
Rex quoque Galterus, Garferus atque Gerelus
Lambertus pariter, Renaldus et Eugelerius
Et reliqui plures apud vrbem Burdegalensem
Translati domino Christo pensate laborem
Illorum summa requiescunt pace sepulti.
At quidam miles magne virtutis Oellus
Nomine, magnanimus princeps Britannicus, ipse
Latus apud Nanetas, requiescit ibi tumulatus.

(Turp. cap. 30.)

Postea Bernardus, Arnaldus, Hybertus et Yvo
Guinardus, comes Escultus, Sanson Salomonque
Duxque Berengarius, et Aaron, dux Naamanque
Et comes Albricus, campis tumulantur Hyalis
Dux Constantinus delatus per mare Romani

Digitized by Google

Cum multis aliis propria requiescit in vrbe.
Utque viris tantis peccata remitteret ille,
Cui soli peccata licet dimittere, Cristus;
Rex Karolus cunctis largiri iussit egenis
Vestes, ac cibos, argenti pondus et auri.

CAP. XI.

(Turp. cap. 31.)

His ita completis omnes discessimus inde
Atque Viennensem tandem devenimus vrbem.
In qua compulsus ego sum remanere relictus
A sociis nostriis: nam longius ire nequivi
Vulneribus multis confossus, ibique remansi
Saucius, attritus, afflictus, debilitatus.
At rex huc pariter post hec devenit, ibique
Consilium tenuit; et eidem iussit adesse
Consilio comites, barones pontificesque,
Dansque deo grates dixit quod Cristus, et eius
Egregius martir sanctus Dyonisius ipsum
Conservaverunt inter tot prelia sanum.
Auxilio quorum, quorum virtute subegit
Paganam gentem, fideique subesse coegit,
Principibusque suis precepit presbiterisque
Nec non prelatis presentibus, atque futuris
Ut Dionisiace cum summo semper honore
Ecclesie penitus servirent, atque subessent.
Et postquam donis multis dotavit eandem
Ecclesiam (quis enim verbis perstringere posset
Predia cum villis, cum turribus quae dedit illi)
Ecclesie numos offerri quolibet anno
Iussit et ecclesiam venerando scemate structam
Maiorem faceret, sub tali conditione
Ut qui quattuor huic gaudenter reddere numos
Vellet; servus foret is libertinus esset.

Digitized by Google

CAP. XII.

(Turp. cap. 31.)

Tunc Karolus iuxta sacrati corporis ossa
Stans, Cristumque rogans ait: o sacratissime martir
O miles Cristi venerabilis, o Dyonisi
Sancte dei martir, pastor bone, flos paradisi,
Mellifluas dignare preces effundere pro me
Proque viris illis qui fundamenta paterna
Resque reliquerunt proprias, propriisque relictis
Rebus in Hyspano pro Cristi nomine solo
Occidi bello voluerunt, ut deus illis
Conferat eternam requiem, vitamque beatam.
His dictis Karolus discessit, sed pia vota
Non caruere suo fructu: nam nocte secuta
Apparens sanctus Dyonisius astitit illi:
Et pulsavit eum dicens, o Karole constans
Esto: ne dubites quod querere disposuisti:
Crede quod obtinui; nam me clementia Cristi
Exaudire libens voluit; sed crede quod illi
Qui migraverunt Hispano Marte perempti
Iam perceperunt felicia gaudia celi.
Illis promitto veniam, qui quattuor istos
Reddiderint numos; dixit; statimque recessit.
His ita patratis, et ab ipso rege relatis:
Omnes devote numos offerre studebant
Quique libenter eos reddebat: nomine Francus
Ille vocabatur: huic mos super accidit: atque
Gallica dicta prius fuerat: modo Francia dicta
Sit: quia servicio careat: quasi libera terra.
Nam libertatem designat Francus: et ipse
Francorum populus populo preponitur omni.
His ita dispositis: Karolus discessit et ivit
Versus Aquisgranum castrum venerabile, castrum
Forte; situs cuius est delectabilis, in quo

Digitized by Google

Balnea construxit, et sic constructa paravit,
Vt nec aquam calidam superaret frigidus humor,
Nec gelidam nimium ferventem redderet ardor,
Sed ea temperies sit possit vt humor vterque
Insimul vnitus concordi pace coire.
Postea basilicam Cristi genitricis honore
Mirifice iussit ornari vestibus, auro
Gemmis, argento, preciosis cultibus; in qua
Describi legem veterem precepit, ibique
Haud procul ipse domum regalem struxit; in ipsa
Hispanum bellum quod tandem vicit: et artes
Septem precipuas depingi fecit; easdem
Nominibus propriis distinxit et ordine certo:
Grammaticam primam posuit: quod previa mater
Artes precellit reliquas; nam prima tenellis
Fundamenta iacit pueris, et reddit eosdem
Instructos prima lingua formare figuras.
Inscius est qui nescit eam; qui suggere nunquam
Verbula grammatice novit; quid scire valebit,
Illa docet partes omnes; docet illa figuras;
Illa docet legere distincte, scribere recte.
Post lasciva locum tenuit sortita secundum
Atque soporiferum reddebat Musica cantum.
Tertia picta fuit Dialectica regis in aula;
A falso verum que discernebat, ibique
Gutture verboso pugiles armabat elenchos.
Artis Rhetorice facunda locutio quartum
Est sortita locum: cuius facundia, cuius
Sermo dicens homines docet allegare: suique
Carmine sermonis sitibundas allicit aures.
Obtinuit depicta locum Geometria quintum,
Singula que numero novit distinguere certo
Urbes transpositas, que montes, oppida, villas
Mensurare docet; istam qui noverit artem
Scire cito poterit spacium cuiuslibet urbis,

Digitized by Google

Campi sive loci, terrarum seu regionis.
Cum numeris depicta suis Arimetica sextum
Insignita locum tenuit. Qui noverit illam
Cum videt excelsum murum, vel turris acumen
Quot positi lapides in muro: vel quot in vno
Sunt muri cumulo; vel quot sub frugis acervo
Grana latent poterit cito dicere; quot pedibusve
Turribus excelsis alti muri superantur.
In regis depicta domo fuit Astrologia,
Ultima que stellas rimari novit et inde
Nomen adoptavit; nam dicitur Astrologia
Astrorum proprie rimatio: si quis in illa
Instructus fuerit, presentes atque futuros
Casus ex facili poterit cognoscere: vel cum
Pergere debuerit sibi presciet omne futurum,
Sive duos pugiles cum bella movere vicissim
Viderit, agnoscet quis eorum debeat hostem
Vincere, vel vinci: Karoli domus artibus istis
Septem precipuis fuit insignita; sed istum
Iamiam concludat distinctio sexta libellum.

EXPLICIT LIBER SEXTUS; INCIPIT ARGUMENTUM IN SEPTIMO CONTINENTE SEX CAPITULA.

Septimus illustris Karoli lacrimabile funus
Pingit et vt sancto Turpino visa Vienne
Mentis in excessu posito mors extitit eius
Utque refert ipsam Turpino nuncius, annus
Hic quotus extiterit a Cristo deinde notatur:
Scandit quo Febrius celestia regna Kalandis
Portentis variis patet huic mors proxima regis,
Spiritus hinc eius de carnis carcere lapsus
Sidera celsa petit: paradisi gaudia carpit.
Vrbe Viennensi Turpinus episcopus almus
Post iacuit mortis violento turbine pressus.

Digitized by Google

EXPLICIT ARGUMENTUM. INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

(Turp. cap. 32.)

Postquam bella stilo studui percurrere cepto
Que Karolus gessit: eius depingere mortem
Nunc cupio: quam sic (transacto tempore parvo)
Cognovi donante deo: dum cordis amore
Affectuque pio divinas promere laudes
Vrbe Viennensi curarem; mox ego raptus
Mentis in excessu iuxta me prepete cursu
Agmina spirituum tetrorum currere vidi,
Quos ad Aquisgranum cognovi tendere, qui cum
Me pertransissent (revoluto lumine) vidi
Ethiopem quendam lenta gravitate sequentem
Illos; cui dixi, quo tendere vultis? at ille
Dixit: Aquisgranum. Respondi, qua ratione?
Qui dixit: causam si vis cognoscere dicam;
Vt Karoli regis animam nuper morituri
Sicut speramus damnandum morte peremni
Ad stygias flammas ex nostro more trahamus.
Talibus auditis dixi: spurcissime demon!
Per dominum Christum pro nobis in cruce passum
Te nunc adiurans adiuro firmiter, vt cum
Hoc iter arreptum compleveris; ipse redire
Ad me non renuas. His dictis, protinus ivit,
Post modicum tempus rediit spurcissimus ille
Demon demonibus aliis comitatus, et ipsum
Alloquor sic dicens: quid vos egistis? at ille
Flebiliter mihi respondit dicens: maledictus
Jacobus Herodis gladio truncatus ad eius
Mortem devenit: et in vno pondere pensans
Tot bona, quot Karolus fecit dum viveret, et tot

Digitized by Google

Ecclesias, tantos lapides, tot basilicarum
Ligna superposuit: quam plus appendere vidi
Tot bona plura malis, animam mox Jacobus eius
Nobis eripuit; et secum detulit illam.

CAP. II.

(Turp. cap. 32.)

His ita finitis demon disparuit ille.
Mox ego cognovi; quod ab huius carcere vile
Migrasset Karolus: et carnis more solutus
Debita nature solvisset: eumque beatus
Jacobus ad celos cum magna laude tulisset;
Nam fecit inter nos conjunctio talis: vt ipse
Debita nature si primum solveret (omni
Causa postposita) mihi tempus mortis et horam
Declarare sue statim properaret; et ipsi
Hora mee mortis (me declarante) pateret.
At Karolus (qui se prospexit pondere morbi
Oppressum graviter) cuidam precepit alumno
Ipse suo, dicens cum me cognoverit esse
Defunctum; propera Turpino tempus et horam
Declarare mee mortis. Cur pluribus vtar?
Post Karoli regis mortem ter quinque dierum
Transacto spacio, Karoli predictus alumnus
Nuntius adveniens mihi declaravit obisse
Francorum regem Karolum: multoque dolore
Continue febris vexatum tempore multo.

CAP. III.

(Turp. cap. 32.)

Cum Karolus mortis summum suscepit: ab anno
Cristi nascentis octingentesimus annus

Digitized by Google

Et quartus decimus iamiam confluxerat, in quo
Celum pro terra, vitam pro morte recepit.

CAP. IV.

(Turp. cap. 32.)

Sol et luna modo miro quasi compatientes
Continuo spacio nigrum tenuere colorem,
Cuius nomen (id est Karolus princeps) quod honeste
Depictum fuerat in prima fronte beate
Virginis ecclesie nullo delente lituram,
Sustinuit, nec non ibi pertulit ipsa ruinam
Porticus ecclesie, pons quidam ligneus ipse
Corruit in Rheni fluvium; quem fecerat idem
Rex Karolus; per se consumptus funditus igne.

CAP. V.

(Turp. cap. 32.)

Nempe pius dum rex Karolus procederet, atra
Est affecta dies subito; lumenque diei
Vertitur in tenebras: et mox globus igneus ignes
Ante suos oculos a dextra parte recurrens
Transit ad levam: quo viso protinus ipse
Corruit in terram; tunc occurrere clientes
Atque sui comites collapsum suscipientes.
Et quia pro Cristo tot verbera, totque labores
Tot mala, tot plagas, tot pertulit ille dolores,
Et quia tot structas pro Cristi nomine sacras
Ecclesias Karolus fundari iussit; et ipsas
Gemmis, argento ditavit rebus et auro
Libris et multis preciosis vestibus; inde
Egregius martir vivit nunc et sine fine,
Vivet et in celo celestibus associatus
Civibus exaltat factus sine fine beatus.

Digitized by Google

CAP. VI.

Sanctus Turpinus Remensis episcopus unus
De Karoli regis sociis specialibus oris
Preditus eloquio, vir magni nominis, omni
Religione nitens non multo tempore vivens
Post Karoli mortem pro Cristi nomine passus
Innumeras penas, oppressus pondere morbi
Ad dominum tandem migravit in vrbe Vienne.
Occubuit extra muros et conditus intra
Ecclesiam modicam modico sepelitur honore;
Cuius temporibus nostris venerabile corpus
Ossibus et nervis in ipsa carne repertum
Quidam de sociis nostris transferre volentes
Illud in ecclesiam fame maioris honoris
Precipui digno commendavere sepulcro.
Et quia pro Cristo tantos perferre labores
Non timuit; Cristi miseratio reddidit illi
Quod meruit; nam nos constanti more tenemur
Credere quod Karolus nec non Turpinus, et omnes
Quos Cristus bello perimi permissit in illo
Vivant cum Cristo morituri tempore nullo.
Hoc opus exegi, summo sit gloria regi,
Auxilio cuius operis sum conditor huius.

FINIS.

EXORTATIO.

Te precor, o lector, quisquis perlegeris istum
Exiguum librum, ne dedigneris; in ipso
Si quid reperies viciosum vel rude dictum.
Nam quia materie seriem percurrere glisco
Ordine proposui, verborum floribus vti
Postposui, quoniam simplex attendit haberi

Digitized by Google

Qui prodesse cupit lectori pauca scienti.
Et quia descripsi breviter tam nobile bellum
Septima postremum concludat meta libellum;
Et quia gesta tenet Karoli brevis iste libellus
Inponatur ei proprium nomen Karolellus.
Explicit iste liber, sit ab omni crimine liber
Et videat Cristum, qui librum legerit istum.

AMEN.

(Nun folgt der oben S. V beschriebene Druckerstock.)

Digitized by Google

NOTEN.

LIB. I.

Argumentum. v. 5. atque statt vt quem.
6. sarcofagum statt sacrofagum.

v. 2. Cod. Lond. metrificare libet.
3. Cod. Lond. horis.
36. litare. consecrare, dicare.
66. postpositaque statt postpositamque.
124. patria. terra, regio.
169—183. Von diesen Versen ist im Turpin keine Spur. Sie enthalten meist nur eine Aufzählung eroberter Städte, deren Namen schlecht genug in die Verse gezwängt sind. Der Verfasser hat das nicht gefühlt, sonst hätte er statt deren Aufzählung sich nur mit einer kleinen Aenderung der Verse 175. 176

Sunt plures alie, quas nostri regule metri
Non posuit, quia non poterant in carmine poni·

begnügen und dem Leser die Qual der schlechten Verse ersparen können. Nach Dippoldt Leben Karls des Grossen S. 249 hat die Chronique de St. Denis allerlei Ausschmückungen in dem umgearbeiteten Turpin aufgenommen, darunter auch die Aufzählung hundert von Karl eroberter Städte und die Verfluchung vier anderer, die bis auf den heutigen Tag ohne Einwohner seien.

v. 221. austrum. purpura, ornamentum.

LIB. II.

v. 8. Hispanam statt Hispaniam.
70. hinc statt huic.
71. plenaria bella, wie bei Turpin der Gegensatz zum Einzelkampfe: speciale bellum v. 59.

Digitized by Google

v. 84. frondere. branchir.
98. Credere statt Eredere.
101. viciis statt des sinnlosen vicus.
108. anhelemius. ob nach ἀνελεημων gebildet? Turpin: „quatenus palmam de triumpho floridam habere mereamur in coelesti regno:
133. et statt atque.
160. prescinit. praescidit?
172. gratanter. grato animo.

LIB. III.

Argumentum. v. 5. und sonst noch. treba wie treva in Pertz monum. T. X. p. 403. Z. 38. soviel wie treuga, tribua, franz. trève.
v. 47. leuca. horae spatium.
57. urbe statt orbe.
102. sincere statt scincere.
118. perfusus statt persussus.
141. hinc statt huic.
185. sublimiter statt sublimitur.
212. precipit statt precepit.
279. Scyllam statt Syrtim, was aus dem vorhergehenden Verse im Drucke wiederholt war, aber keinen Gegensatz zu Charybdis bildet.

LIB. IV.

Argumentum. v. 8. corporis statt corpori.
v. 10. pelagus. multitudo.
v. 6. hastas statt astas.
8. Nagere statt Vagere.
10. unscandirbar.
32. Hippomedon statt Ypomedom.
62. pugno statt puguo.
125. 26. Dieser gleiche Versausgang lässt eine Lücke vermuthen, in welcher noch ein Beispiel gleich dem Abrahams aufgeführt wird.
156. quod iam captiverat statt quod captiverat.
188. voluit statt volnit.
207. statim irruit in Rothol. statt statim in Rothol.
324. mandabat statt mendabat.
329. ferratura. ferrea equi solea.

Digitized by Google

v. 337. Lacula. Sceptrum oder auf corona bezogen: quadrata? Turpin c. 20: „in quatuor solennitatibus ... coronam regiam et sceptrum gestabat. Wäre vielleicht gar lingula zu lesen? lingula nach Vocabular. optimus ed. Wackernagel p. 30. „Rink, also von linga, lingua taenia" und wäre somit dann ein königliches Ehrenzeichen, der Siegelring gemeint.
343. circa se statt circa fe.
350. Agalfro = Galafro.

LIB. V.

Argumentum. v. 18. Total verunglückter Vers.
v. 29. proh statt proth.
33. progenies statt progenie.
49. illicito statt illico.
67. coitu statt coictu.
78. Nur als Hexameter anzusehen, wenn nemoribus als Dactylus genommen wird.
101. duo statt duos. —
praelibare. ante memorare.
102. truncantur statt truncatur.
114. pertulerant statt pertulerent.
119. reatus. crimen.
126. polluerant statt polluerunt.
143. constitit statt consistit.
168. detruncare statt detrnncare.
191. convertere statt convetere.
203. Cesareos. sonst immer Cisereos.
208. quotiens statt quotieus.
226. praedita statt praedicta.
236. Im Drueke ist dieser Vers doppelt.
266. quattuor — Turpin hat gar octo.
287. quesivit statt quesivi.
310. curarent statt curareut.
346. correxit: et eius statt correxit. eius.
412. refloruit statt reffloruit.

LIB. VI.

v. 29. statim frater Rotholandi statt statim et Rotholandi.
113. eius statt eis.
128. angusti temporis statt augusti temporis.

Digitized by Google

v. 146. ocius statt occius.
108. Ne fetor als Dactylus.
213. Goudeboldus, bei Turpin Galdibod.
228. unscandirbar.
259. unscandirbar.
295. sit statt it.
309. suggere offenbar statt suggerere, nominare.
332. muri statt muni, und murus soviel als lapis.

LIB. VII.

v. 25. alloquor als Dactylus vor einem Consonanten.
30. tantos statt tantas.
54. summum mortis = mors.
85. preditus statt predictus.
104. conditor. Cod. Lond. redditor.
106. dedigneris Cod. Lond. perturberis.
107. Si quid reperies. Cod. Lond. sicubi repereris.
108. glisco. Cod. Lond. plano.
109. proposui nach Cod. Lond. statt postposui.
110. quoniam attendit Cod. Lond. quam adtendat.
113. Aus dem Cod. Lond. doch statt concludo, concludat.
114. tenet. Cod. Lond. refert.
116. 117. Aus dem Cod. Lond.

9 JY 62

Digitized by Google



Digitized by Google